




PAEDOLOGIA
PETRI MOSELLA-ni Protegensis. Dialogi XXXVII.

DIALOGI PVERILES CHRISTO-phori Hegendorphini, XII.





PARISIIS,
Apud Hæredes Mauricij à Porta, in clauso Brunello, ad D. Claudij insigne.
1557.

Petrus Mosellanus Ioanni Polyandro

LYPSIAE, APVD DIVVM
Thomam Ludimagistro
suo S.



S tu quidem mi Ioãnes iam annos multos re ipsa expertus, quanta cum difficultate, & quàm serò, infirma puerorum ætas, ad Latinitatis antiquæ imitationem perueniat. Nam cùm post prima rei Grammaticæ Rudimenta, tenera ingenia statim ad Latini sermonis vsum adigantur, nec tamen vlla eis via ad hanc rem demonstretur, fit, vt dum vtcunque quod iubentur, præstare conantur, nouam quandam loquendi rationem planè barbaram, & per vernaculi sermonis vestigia ingredientem inter se sibi ipsi confingant. Quod vitium rudibus animis, & per hoc tenacioribus primùm impressum, poste nulla arte deleri potest. Atque hæc causa mihi videtur, quòd non Germani solùm, sed & Itali, qui nobis hac parte fœliciores videri volunt, sermone quotidianò immundo adeò & parum proprio vtuntur. Videas enim bonam partem eorum qui hodie lin-

guam Latinam profitentur, in loquendo nihil minus spirare, quàm natiuum illum & incorruptum Romani sermonis odorem, vt candidissimæ eloquentiæ scriptor Fabius de extemporali orationis facultate frustra scripsisse videatur. Quid, quòd hoc malum grauioris etiam ætatis profectibus omnem aufert gratiam? Alioqui qua caussa malè audiũt apud Quintilianum & item Gellium ὀψιμαθεῖς, nisi quòd à teneris, vt aiunt, vnguiculis, optimis non sunt adsueti? Obuia quæque in authoribus citra delectum, in suum vsum conuertunt, vt dictio eorum omnis non propria, & domi suæ nata, sed è variis scriptoribus, ostiatim quasi mendicando congesta, delicati iudicij hominibus non posśit non putere. Hæc quum tu non minus acutè, quàm grauiter perpenderes, nihilque haberes potius, quàm puerorum, qui tuæ fidei sunt concrediti, rudem & ad omnia sequacem animum ad optima quæque perducere, mecum egisti sæpè, vt loquendi formulas aliquot, quibus ea ætas vti posset, conscriberem. Diu, vt nosti, sum reluctatus, partim quòd ipse grauioribus occupatus hanc operam vtilissimam quidem illam, sed in speciem tamen humilem, & penè sordidam dedignarer: partim quòd quia in ludis eiusmodi ipse non admodum essem versatus, vix possem eam quasi personam cum decoro gerere: videbam enim ad hanc fabulam agendam opus fore denuò repuerascere: & vt ait Flaccus, Ludere par impar, equitare in arundine longa. Sed cùm tu rogãdi finem faceres nullum, pariterque te, qui probè puero

rum ſenſum calleres, ſiqua nobis hac parte deeſſent, ſuppleturum promitteres, volui quanuis calumniam ſubire potius, quàm vel tibi amico, tum ſynceriter amanti, tum prudenter roganti, quicquam negare, vel meo pudore publicũ pueritiæ commodum diutius remorari. Iam ſiquis eſt qui vehementer putet indignum has, ſicuti prima fronte videntur, nugas in chartarum perniciem ſcribi, is mihi virum paulîſper exuat, & in puerum redeat, cogitétque iam primùm ſibi Latini ſermonis vſum diſcendum. Statim opinor videbit, quàm facilè, & nullo penè negotio per eiuſmodi fabulas, velut quoſdam gradus, ad Terentij proprietatem, ac Ciceronianam facilitatem prima illa ætas traduci potuiſſet. Quis autem laturus eſſet, immò quis non ſtatim exibilaturus, ſi ex puerili perſona tetricam iſtam ſenum ſapientiam ſonarem? Tametſi ſunt his nugamẽtis noſtris admiſta quædam, quæ ſeria docere videri poſsint, vſqueadeo vt & hoc nomine ab Ariſtarchis iſtis vix tutus ſim futurus. Sed malui ego decori paulîſper oblitus, paucula ſubinde aſpergere: quæ ſi pueris ſuis literatores prælegant attentè, queăt cùm ſtudiorum abuſum tollere, tum pueritiæ mores ad Chriſtianam regulã corrigere. Hos labores tibi mi Polyander, dicare volui nominatim, vt qui author nobis & adiutor ad hęc ſcribẽda fuiſti, idem quoque ſuſcipias quicquid id eſt libelli, tua facundia, authoritate ac gratia tuendum. Quòd ſi ex hac editione ad te impulſorem, & me ſcriptorem, aut nulla, aut tenuis admodum gloria redibit, ſolemur noſipſi

per hoc, quòd nullo popularis auræ pruritu, ſed pio & ſimplici animo vterque noſtrum hoc negotium tractauimus: tu adhortando, & ego ſcribendo. Siquidem iuuare ſtuduimus ſaltem aliquos, nocere nemini. Bene vale. Lipſiæ, ipſis feriis diui Matthæi apoſtoli. Anno

M. D. X V I I.



DIALOGVS I. GASPAR ET MODESTVS DE NVN-*dinis fabulantur.*

GASPAR.



GE verò Modeſte, quot dies hinc abſunt nundinarum feriæ, quibus frequentes adeò huc peregrini adueniunt mercatores? MOD. Dies, ni fallor, quatuordecim: nam accuratè ſingulas penè horas ad calculum voco: ſiquidem nullum tēpus totius anni cupidius expecto, quàm nundinarum. GASP. Non iniuria: quandoquidem hæ ferię partim nuntios, partim literas, partim omnibus literis gratiores pecunias nobis apportant. Quòd ſi non & mihi iam planè exhauſto, proximæ nundinæ argenti ſubſidiū attulerint, nō potero hîc diutius durare. MOD. Pecunias quidem, id quod ſatis ſcio, accipiam nullas: pannum tamen in veſtem hybernā, ſe diſcedenti mihi miſſurum promiſit pater. GA. Vtinam vterq; voti compos fiat, vt & tu cōmodius veſtitus, & ego numatior, vrgentis hyemis iniurias minori negotio propulſare queamus.

DIALOGVS II.

De natali celebrando, de receptis pecuniis, déque bono cuiusque Genio.

OSVALDVS ET MICHAEL.

NOn tu hodie tuum natalem celebras, atque nos tuos sodales conuiuio excipis? An ignoras hunc diem diuo Michaëli, cuius tu nomen refers, esse sacrum? MI. Scio equidem: quid autem facerem, quando ne obolum quidem habeo quo panem emere queam, nedum conuiuia agitarem? OS. Non his nundinis à parentibus tibi numi sunt missi? MIC. Sunt vtique, sed ante nundinarum exitum à mercatore, qui literas modò dedit, extorquere possum nihil. ait enim sibi in tanto hominum strepitu, otium ad numerandas pecunias non esse: alioqui non modò natalem meum conuiuio exciperem, sed & Genio bono (quem angelum dicimus) peculiari aliqua hilaritate gratificarer. OS. Itaque Terentiano illo satis excusati sumus, Vt quimus, aiunt: quando, vt volumus, non licet.

DIALOGVS III.

De reditu in patriam, de literis à parentibus acceptis, déque missione flagitanda.

PETRVS ET PAVLVS.

SAlue mi Paule. PAVL. Et tu sodalium iucundissime Petre. Sed quid adeò es tristis? nam ex quo communia studia, idémque hic ludus, mutua nos familiaritate iunxernt, vultu alacri, &

feſtiuo mihi ſemper es viſus, vt ex iis, quos hic habet luſus, fuerit nemo qui non te familiariter vti concupiuerit: nũc neſcio quomodo alius videris. PET. Et mirũ tibi videtur, ſi vultu ſum triſti, cum eiuſmodi quiddam mihi accidat, quod ſtudiorũ meorũ progreſſum nõ parũ queat remorari? PAV. Quid illud quæſo? Nam graue aliquid ſit oportet, quod te adoleſcentem conſtantem à ſtudiis deducat. PET. Dicam paucis. Iam annus ferme eſt, ex quo ludi huius noſtri celebritate excitus, huc, ad capiendum ingenij cultum, cõceſsit: quo tempore, ſtudiorum meorum vix rationem inueni, cum mihi è patria offeruntur literę, quę me domum, quaſi ex medio ſtudiorum curſu reuocant. Et quod me omnium maximè malè habet, reditus mei cauſas non ædunt. nec ſcire poſſum, an huc tandem liceat remigrare. PAV. Quî ſcis an ad fortunam, aliquam auoceris? PET. Nulla mihi fortuna poteſt incidere tanta, cuius reſpectu literas queam poſthabere. PAV. At parentibus eſt obſequendum. PET. Hoc illud eſt quod me mouet, quod me hinc domum extrudit. Alioqui tãetſi non tãtum eſt æris, quòd hanc hyemẽ tranſmittere queã: tamen præ ſtudiorũ amore, victum mendicando oſtiatim quæritaſſem. PAV. Num antequam hinc abeas, nunquam forſan rediturus, conuiuium inter nos agitabimus? PET. Conuiuia agitarem, qui ad ſupellectilis meæ ſarcinam componendam vix tempus habeo? Imò iam rectà ad Ludimagiſtrum pergo, miſsionem efflagitaturus: quam vbi fuero conſecutus, cõterraneorum meorum literis, quas ad parentes ſuos mihi

dabunt, acceptis, ſtatim iter ingrediar. Quare rectiſsimè vale mi Paule, mutuæ noſtræ conſuetudinis memor. Quòd ſiquando dabitur otium, fac de ſtudiorum tuorum ratione, & ludi huius ſtatu me literis tuis certiorem reddas. PAV. Faciam ſedulò mi Petre, & iubẽs quidem. Sed heus tu. PE. Quid eſt? P. Conterraneos tuos, quorum conſuetudo, dum hîc erant, vtrique noſtrum erat grata, meo nomine diligenter ſalutes velim. P. Sat eſt, faciam.

DIALOGVS IIII.

De conueniendo præceptore, miſsione impetranda, déque gratiis præceptori agendis.

PANDALVS PETRVS ET LVDIMAGISTER. PAND.

QVis es, qui trepidè adeò pulſas oſtium? En Petre, tun' pulſaſti? PET. Pulſaui. PAN. Sed qua gratia huc intromitti poſtulas? nõ vt magiſtrũ conuenias? PET. Maximè: ſi eſt intus, habeo quod cũ eo agã ipſe. PAN. Eſt intus. Sed mane pauliſper, dũ huc tibi renũtio, an hoc tẽporis articulo, ei te audire vacet. Here, ſcholaſticus quiſpiã foris expectat, qui, ſi nõ ſit moleſtũ, cupit te de re quapiã cõuenire. LVD. Quin huc adeſt? PAN. Iamiam aderit. PET. Salue præceptor optime. Auocor hinc in patriã ſeriis parentũ meo-

rum literis: & ſi non auocarer, ipſa tamen æris egeſtas, & item nuditas, domum abigere me poſſent. Itaque gratias ago tibi immortales obſeruátiſsime præceptor, quòd me primùm in tuam diſciplinam humaniſsimè recipere dignatus es: deinde, ex quo tuæ ſcholæ fui ſectator, & fideliter & accuratè tam literis bonis, quàm rectis moribus expolire ſtuduiſti. Porro quia, vt dixi, non amplius hîc morari licet: quàm poſſum, amanter oro, vt qua humanitate me hactenus tractaſti, eadem & migrandi poteſtatem concedas. Etenim, ſi modò id pace fiet tua, cras prima luce iter ſumus ingreſſuri. LVD. Siquid feci, quod gratum ſit adoleſcens ſtudioſe, hoc totum non mihi, ſed præceptoris officio feres acceptum. Cæterum, quádo te hinc parentum literis auocari dicis, abi me permittente bonis auibus quocunque te vel parentes vocant, vel rectius forſan conſilium hortatur. PETR. Sed illac quà iter ſum facturus, amicóſne aliquos habes quos literis ſalutare cupias: quandoquidem ipſe perferendi onus in me lubens recipio. LVDIMAGI. Non admodum: & vt maximè haberem, tot tamen aliis negotiis in præſentia diſtricto, ſcribere non vacaret. Quare tu, quod ad literas attinet, ſecurus iter deſtinatum quando lubet, capeſſe. PE. Bene vale.

DIALOGVS V.

De excipiendis scholasticis aliunde aduenientibus, déque Græcæ literaturæ rudimentis in prima ætate addiscendis.

MARCVS ET IOANNES.

VNde nobis aduenis mi Ioannes? aut quo animo huc ad nos es profectus? Neque enim opinor ludi huius gratia venis, qui antè tot meis atque item aliorũ literis inuitatus, huc pertrahi non potuisti. IOANN. Imò hac ipsa caussa adsum. MARC. Vtcunque sit, gaudeo te festiuissimum sodalem nobis redditum. Et hic aduentus tuus non mihi solùm, sed omnibus, qui te norũt, optatus est. Sed enim aperias oro, quidnam sit illud quod te tandem huc allexerit. IO. Vis scire? MARC. Volo. IOANN. Audies. Quum primùm puber factus, grauiori paulò cura præceptorem scriptores Latinos prælegentem audire cæpissem, subinde Græculæ aliquot voces nobis occurrebant, quo loco præceptor suo munere egregiè se putabat perfungi, quoties obiter tantùm admoneret, esse ea Græca, perinde acsi peregrina, ad nos nihil attinerent. Hîc quid aliis audientibus in mentem venerit nescio: equidem sic cogitabam. Si ad nos hæc nõ pertinent, vt nec cognita doctũ, nec incognita imperitum reddãt, cur non ex libris tanquam offendicula quædam penitus eradimus? Deinde mirabar veterum scriptorum penè omnium curiositatem, qui non so-

lùm magna cura peregrinas iſtas nugas didiciſsēt, ſed & libris ſuis velut maculas quaſdam inſperſiſſent. Poſtremò quanquam à pręceptore liberè diſſentire erat religio, tamen cùm audirem eſſe viros graues multos, qui has, ſicuti tum putabatur, nugas amplectarentur profiterentúrque: paulatim circunſpicere cœpi, vtrùm credere mallem, magiſtrúmne meum potius ignorantia labi, an totam ſemel antiquitatem, & ex recentioribus optimos quoſque pueriliter delirare. Itaque ſic mihi inter hæc fluctuanti, & in quam partem inclinarem hęſitāti, fortè fortuna cecidit, vt Marci Tullij Ciceronis libros de Officiis enarrādos præceptor ſuſciperet: in cuius lectionis ingreſſu ſtatim in ipſa præfatione grauiſsimus ille & philoſoph⁹ & orator, vnico ſuo filio ſuadet vt Gręca cū Latinis cõiungat, quò par ſit in vtriuſque orationis facultate. Hoc vbi, pręceptore diſsimulante, mihi arripuiſſem, grauiter dolere cœpi negatam nobis occaſionem eas literas diſcendi, quarum ſtudiū, ſi eſſent inutiles, nec laudaret Cicero, nec filio vnico iniungeret prudētiſsimus pater. MAR. Iam video quò tendas. IOHAN. Mane, nondum omnia habes. Cùm hæc ſubiratus mecū agitarē, ecce rumor apud nos increbreſcit, in hanc laudatiſsimam Academiam Principis munificētia accercitos, qui publicè Græcas literas doceant & ex eorum velut fontibus nõnihil quoque in ludū literarium deriuari. Hæc fama partim literis, partim commeantibus confirmata, illinc me vtriuſque eruditionis cupidum exciuit, & huc appulit. Habes cur aduenerim, nimirum vt in hoc veſtro lu-

do & Græcæ linguæ elementa saltem liceat percipere. MARC. Dubio procul voti compos eris, neque aliquò aliò fœlicius te conferre potuisses, adeò hîc omnia nobis sunt commoda. Denique, quod peculiariter ad rem pertinet, ludus, si quisquam alibi, instructissimus. IOHAN. Sed quando satis fabulati sumus, hanc operam non negabis opinor, vt me ad ludi moderatorem deducas: siquidem iam statim nomen in hanc literariam militiam dare sum paratus. MARC. Faciam, ac lubens: tu me sequere.

DIALOGVS VI.

De recipiendis in disciplinam scholasticam.

MARCVS LVDIMAGISTER ET IOHANNES. MARC.

EN tibi præceptor optime, adduco hîc quendam, cum quo iã annos aliquot mihi fuit familiaritas, hominẽ bonũ & studiosum: is tui ludi fama excitus huc appulio. Quare magnæ fœlicitatis loco ducet, si se in tuorum gregẽ recipere dignatus fueris. LVD. Adolescẽs bone, quod tibi nomẽ est? IO. Est mihi nomẽ Iohannes. LVD. Faustum planè nomẽ es sortitus: quippe hoc Hebræis à gratia dicitur. Quamobrem summa ope tibi est enitẽdum, vt tam gratiosi nominis expectationi, pro tua virili respondeas. IOHAN. E-

quidem pro viribus ſedulò dabo operam, téque in hoc mihi adiutorem fore ſpero. LVDIMAGISTER. Sed & ipſa corporis tui facies animum ſubeſſe oſtendit: qui neque à literis, neque virtutibus abhorreat, adeò vt ſi fortiter egeris, & de te dici demum poſsit illud, Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus. Quò libentius te in meam diſciplinam recipio, ſi modò das fidem te boni diſcipuli officio apud me functurum. IOHAN. Do fidem me in omnibus, quod rectũ erit, quódque tu iuſſeris, facturum. LVDIMAGI. Ita ſpero quidem. Sed quæ tibi eſt patria? vt in rationarium hoc quoque adſcribam. IOHANN. Patria mihi eſt Auba, oppidum Franciæ Orientalis, non procul ab Herbipoli, celebri ſacerdotum ſede, ſitum. LVDIMA. Sat habeo: quod ſupereſt, curabitur tibi pro tua ſorte commoditatéque domicilium. Ac tu quidem in eo ſic te gere, ne aliqua macula hinc in noſtram ſcholam redundet.

IOHAN. Quod ad hanc rem attinet, ſecurus eſto optime præceptor: nam, vt inquilinum decet, modeſtiſsimè agam. Nunquid aliud mihi vis iniungere? LVDI. Nihil: nam ſiquid ſupereſt tibi praſtandum, quotidie inter prælegendum à nobis dicetur.

DIALOGVS VII.

De domicilio commodo atque incommodo, déque paupertate ac opulentia scholasticorum.

IOSEPHVS ET CLEANTHES.

QVid agitur mi Cleanthes? Contigítne tibi commoda habitandi ratio?aut adhuc incertis ſedibus oberras? CLE. Contigit quidem habitaculum, ſed eius commoditas tanta non eſt, quantam fore aſperaui: ſiquidem ſpes erat fore, vt ciuis alicuius beneficio vnà cum domicilio & victum qualencunque nanciſcerer. verùm multò aliter euenit: nam vix impetrare potui, vt pro locario ſtatuto mihi angulus in ludo locaretur: victum verò, quando pecuniæ eſt parum, oſtiatim emendicari oportebit, niſi fortè melior mihi fortuna poſthac obuenerit. Tu autem fœlix es mi Ioſephe,cui parentes tantũ ſumptuum ſuppeditare ſufficiunt, quantum ad ſtudiorum commoditatem eſt ſatis. IOS. Eſt, deo gratia, vnde hæc commoda mihi parem: ſed quo plura mihi ſunt ad diſciplinas parandas commoda, eo ipſo grauiori dignus eſſem odio, ſi nõ plus quàm veſtrum quiſpiam didicero. Attamen nec vos de mediocri ſtudiorum veſtrorum profectu deſperare decet: quandoquidem conſtat multos humili natos loco,adhæc nullis omnino fortunæ dotibus adiutos, ad eruditionis faſtigium aſcendiſſe. An non Democritus ille phyſicus ex baiulo factus eſt philoſophus? Non Cleanthes, cuius tu no-

tu nomen refers, aquis noctu hauriẽdis diurnum victum sibi quæsiuit? & quem Stoicum hic non æquauit? Sed & Plautus inter ipsos pistrinæ molestos labores, laudatissimas illas comœdias conscripsit. CLE. His & eiusmodi aliis exemplis animatus in studiis perseuero: alioqui me iampridẽ ad manuarium aliquod artificium transtulissem. Quanquam sunt mei ordinis plerique adolescẽtes in ludis magis putrescentes, quàm studentes, adeò infœlici ingenio, vt ad nullas literas sint appositi: hi mihi nulli alij vsui esse videntur in ciuitatibus, quàm quòd alios mendicos, dum eis panem præripiunt, ex vrbibus pellunt. Iis ego consulerem, vt se ad aliquod aliud studium applicarent. IOS. Probè dicis mi Cleanthes: nam si omnes eiusmodi essent ingenio præditi, quali tu, fouendos modis omnibus putarem. Certè, quod ad te attinet, spero propediem tibi meliorem fore conditionem, nempe vt apud ciuem quẽpiam, cui nonnunquam inseruias, omnem studiorum commoditatem sis habiturus. CLE. Vtinam Deus ita faxit. IOS. Faxit, ne dubita, & in hoc mea commendatione iuuabere.

DIALOGVS VIII.

De vindemia & aucupio loquuntur.

ANDREAS, PHILIPPVS.

VTinam mi Philippe iam domi apud parẽtes ageremus. PHIL. Quid ita? AN. Rogas? immi net iã vindemiæ tẽpus, quo nullũ toto anno

noſtratib' accidit lætius. P. Quid ego audio? tũne ſimul vinitorem vis agere, & literarum cultorẽ? AND. Animi cauſa racemos decerperemus, deguſtaremus è lacu muſtum: neque enim diutius abeſſe optarem, quàm muſtum in dolia cõditum deferbuiſſet deſpumaſſétque: adhæc decoqueremus ſapam, defrutũ, ac vini veteris fæcem. Quid, quod nobis liceret & aucupio voluptatem quęrere? ſiquidem volucres captaremus iam retibus explicatis, iam pedicis fixis, nonnunquam verò & viminibus viſco illitis. PH. Sine parentes harum rerum curam gerãt: tu, ſi ſapis, in literis te oblecta. AND. Atqui audiui magnos viros in eiuſmodi ruſticis rebus oblectationem quæſiuiſſe. PHI. Rectè, quando magnis viris hæc ſunt permittenda, nobis verò qui nondum vltra primas literas progreſsi ſumus, non itidem. A. Semper tu quidem meis affectibus obſtrepis, non minus quàm præceptor. P. Quod ad te attinet, age, age vt lubet: me certè non habebis huius tuæ ſtultitiæ comitem.

DIALOGVS IX.

De authoribus proximo ſemeſtri in ſchola prælegendis.

THOMAS ET HIERONYMVS.

QVID eſt quod illàc venis Hieronyme? aut vbi fuiſti? HIERON. Redeo à præceptore eo, qui à ludimagiſtro primas tenet. THOMAS. Age, quid is narrat de au-

thoribus hoc ſeméſtri prælegendis? iam enim, ſicut opinor, eorum delectum habuerunt. HIE. Habuerunt, ídque ſicuti dici audio, prudenter: nam prætervtriuſque linguæ rudimenta, ex Fabii præſcripto coniunctim tradenda, primùm Terẽtianas comœdias exponendas ſuſceperunt, quòd hic ſcriptor ex Latinis penè ſolus Romani ſermonis natiuam & genuinam proprietatem retineat, adeò vt nec Marcum Tullium, oratorum principem puduerit ad huius exemplum orationes ſuas formare: deinde Marci Tullii officia, quòd is liber non linguam ſolum eloquentia expoliat, ſed & pectus rectis moribus inſtruat: vnde & Plinii iudicio non legendus, ſed ad verbum ſit ediſcendus. Poſtremò aliquot Virgiliani poëmatis libri exponentur, nempe vt Auguſtini iudicio, optim⁹ poëta teneris animis infixus, in omnem vſque vitã hęreat, Adhęc, quando parum eſt æquũ Chriſtianos in gẽtiliũ libris eſſe totos, eis diebus quibus ferias agimus, elegãtiſsimos ſimul, & grauiſſimos hymnos Aurelii Prudentii grauis & ſancti viri audiemus: aut ſi diſpliceant, Enchiridion militis Chriſtiani, ab Eraſmo Roterodamo accuratiſsimè elaboratum. Quæ ſi (vt ſpero) & pro ſuo officio explicarint accuratè præceptores, & nos pari diligentia exceperimus, non opinor malè hoc ſemeſtre nobis fore collocatum. THOM. Non iniuria hunc laudant delectum mi Hieronyme: neque enim vnquam eorum mihi placuit inſtitutũ, qui his, & id genus aliis optimis ſcriptoribus poſthabitis, in Apuleio, Capella, & eius farinę authorib⁹ cęteris bonas horas malè collocant,

qui ſcriptores Ciceroniana eloquentia non contenti, ſibi ſolis nouam dicendi rationem inuenerunt, quaſi non ſummum ſit orationis vitium à communi dicẽdi conſuetudine abhorrere. Nam qui citra delectum Catullos, Tibullos, Martiales, & eiuſmodi enarrant, & per hoc diſcipulos peregrina & prodigioſa docẽt vitia: hi mihi non verbis, ſed verberibus coërcendi videntur. Hi enim ſunt illi poëtæ, quos ſolos è republica ſua pellendos ſtatuit Plato. Atque hæc non ex me dico, ſed quòd ſic cenſentes audiuerim doctiſsimos pariter & integerrimos viros. HIERONY. Rectè ergo facit ludi noſter magiſter, qui eiuſmodi nihil in ſcholam ſuam irrepere ſinit. Sed ego iam rectà hinc bibliopolium concedam, libros de quibus dixi, coëmpturus. THO. Noſtín' quanti hæc ſimul emi poſsint? HIERON. Haud dum licitatus ſum: opinor aureo numo: ſiquidem audio indicari argenteis vigintiquatuor. THOM. Bene habet, quòd non pluris venduntur: alioqui, quæ mea eſt egeſtas, coëmere non ſuffeciſſem. HIERON. Eamus ergo. THOM. Quando vis, in me non eſt mora.

DIALOGVS X.

De relegenda prælectione, de ediscendo, déque enotandis ex authoribus loquendi formulis PHAEDRVS *& ætate & eruditione maior cum fratre suo* IOHANNE *loquitur.*

QVid tu otiosus hîc desides, & non potius prælectionem modò auditam relegis? IOHAN. Relegi, atque adeò bis térve. PH. At fortasse non satis accuratè. IO. Accuratissimè, vt totam etiam memoria complectar. PHAE. An tuo te officio satis perfunctum credis, si memoria tantùm teneas, & psittaci more, verba non intellecta præceptori reddas? IOHANN. Quin intelligo omnia. PHAE. Hui omnia! vide quid dicas. IOHANN. Omnia inquam, vt maximè tibi videatur incredibile: atque id vt credas facilius, liberum tibi est singula quæ ad modò auditam prælectionem attinent, ex me perquirere. PH. Singula persequi in præsentia non est ostiũ: hoc tantum quæro, primùm an totam authoris sententiã ex præceptoris interpretatione sis assecutus, & qua quídque ratione quóve consilio sit dictum, intelligas. Deinde singulásne clausulas expenderis: videlicet siquam habeat sententiam insignem, siquod prouerbium, siquod σχῆμα, siquem tropum, siquem colorem rhetoricum, siquem locum dialecticum, siquas venustè loquẽdi formulas. quæ omnia enotare operæpretium est, partim vt sit in promptu semper quo mores

noſtros pariter & alienos corrigamus, partim vt ex idoneis ſcriptoribus ſuppetant rectè loquēdi ſcribēdíque exempla: ad quæ craſsiſsima illa hodie barbariſſantium loquēdi conſuetudine poſthabita, orationem noſtram componere queamus. Poſtremò ſiquod dictum antiquè, ſiquod nouè, quod loquēdo, ſiquod parum Chriſtianè, quod viuēdo exprimere non cōueniat: hæc magiſter tuus, vir nō ſolùm doctus, ſed & prudens inter prælegēdum diligēter admonere ſolet: & ipſe eiuſmodi, cum id ætatis eram in ſcholis non oſcitāter excepta domum regreſſus, partim memoriæ, partim chartis, fidis memoriæ cuſtodibus commēdabam, ſenſi nāque hac diligētia me vehemēter proficere. quòd ſi fratris veſtigiis inſiſteres, idémque faceres, iam nō hîc, ſed libris adſideres. IOANN. Nimis multa in puero requiris. Equidem, vt quod verum eſt, tibi reſpōdeam, in his quæ tu mones exponēda, pleríque omnes ſumus negligētiores: nimirum contēti ſingularum dictionum quæ in cōtextu reperiātur, reſpectum habuiſſe: videlicet quam ex octo orationis partibus habeant pro genere, quæ ſint accidētia, cuius generis, ſimplicia ſint an cōpoſita, in quam cadāt declinationem: item quæ partium ſit inter ſeſe cōſtructio. PHAED. Rectè, ſed & illa nō oportet negligere: alioqui non video quid referat Terentium, Ciceronem, Virgilium, & ſimiles tanta cura ſine fine tractari, ſi non inde aliquid quod vel ad rectè viuendi rationem, vel dicendi facultatem faciat, cōſequamur. Ipſe certè eam lectionem, ex qua auditorum imi-

tationi nihil accedit, nullam puto: tantum abest vt istos probem, qui scriptorum sensum exposuisse vtcunque contenti, nullam imitandi viam discipulis commonstrant. Tu verò quando præceptorem nactus es doctum & fidũ, fac eius tum doctrinæ, tum fidei, diligentia tua respondeas. IOAN. Dabo operam sedulò, ne quod ad hanc rem attinet, iure me posthac obiurgare queas. sed iam duodecimæ horæ signũ auditur, quare hinc ocyus in ludum contendam.

DIALOGVS XI.

Complectens formulas loquendi de feriis.

STEPHANVS ET LAVRENTIVS.

QVem aiunt hodie apud populum in templo nostro cõcionaturum, mi Laurẽti? LAV. Audio quempiã è monachis in suggestum proditurum. STEPH. Miror non insignem aliquem theologorum ei negotio adhiberi, maximè cum ingens hominum turba hodie in hanc ædem confluat: propterea quòd sacrificus quidam nuper in sacerdotum ordinem assumptus, primũ sacra faciet. LAV. Et mihi mirũ videtur: quanquam quod ad me attinet, vellem concio quàm breuissima haberetur. Etenim iam nũc vehementer esurio, biduano iã penè ieiunio maceratus. Nam his diebus, quibus à carnibus abstinetur, nunquam abeo rectè satur. STE. Duas adhuc horas edendi auiditas tibi est reprimenda: siquidem præter concionem, quæ horam

poſcit, ſcis quantum temporis in ſummo ſacrificio Choraula ſibi ſumat, quem etiam penè ſuperant hæ noſtræ cantiones ſupra modum prolixe. LAV. Malè ſit iſtis, qui harum rerum nobis ſunt authores. Ipſe certè ſtatim, vbi peractum fuerit ſacrum, ad diuitum oſtia citato adeò curſu contendam, vt ſi non in primis, ſecũdis ſaltem & tertiis ſtipem accipiam. STE. Sed me vix anteuertes. LAV. Res ipſa indicabit.

DIALOGVS XII.

De die à feriis ſecundo, quem Martis vocant, confabulantur.

CLEMENS ET REMIGIVS.

VÆ nobis mi Remigi, vltra pręſcriptum dormiuimus. Iã enim ſol vndiq; plena reſplẽdet, vt ſeptimæ horæ ſignum datum liceat conijcere. REM. Non opinor: cælum alioqui præter morem eſt ſerenum, etiam ſi alias hoc die ſomnolentiæ meæ pœnas non rarò dedi. CLE. Vtcunque ſit malè metuo mihi à ferula: quare occaſionem aliquam, qua hodie è ſcholis emanere liceat, quæram. REM. Quam eam? CLE. Scis quid à nobis hæri contenderit hera noſtra? REMI. Scio, nempe vt familiam hauriendis aquis iuuemus. CLEMEN. Sed quid tum? REM. Hæc erit rima ſatis idonea, per quam elabamur: quamobrem tuum erit, vbi octauæ ſignum auditum fuerit, quaſi è mediis laboribus in

ludum ingredi, atque à præceptoribus emanendi copiam poſcere, hac ipſa, quã dixi, cauſa aſsignata. CLE. Vereor vt procedat commẽtum: quandoquidem hoc die funus magnificum eſt deducendum, & defuncti manibus parentandum: vix facultatẽ hanc dabit, & alioqui pauci iam adſunt qui pompam inſtruant. REM. Tentandum eſt, vtcunque res exeat: ac neſcio quomodo hac die mihi ſemper inuiſum eſt ſcholas adire, nõ minus quàm ſi in piſtrinũ aliquod mihi ſit redeundum. Credo quòd pridiani otij ſenſus adhuc reliquus ſic reluctantem faciat.

DIALOGVS XIII.

De nuptiis, balneis, ac viſcerationibus.

BVRCHARDVS ET ALBINVS.

NVptias hodie futuras aiunt Albine: tu quippiã ea de re audiſti? ALB. Audiui. BVR. Dãda eſt opera, vt & nos è nuptialibus cibis aliquid acquiramus. ALB. Quod ad cibũ attinet hodie nihil moror: heri enim mihi proſpexi, vnde hũc diem commodè liceat trãſigere. ſed quòd à prãdio ſaltationẽ in theatro ſpectare nõ poſſum, hoc verò eſt quod me malè habet. BVR. At quid vetat quo minus ſpectes? ALB. Ignoras forſan in hunc diem nobis pij cuiuſpiã beneficio balneas gratuitò cõdictas, à quib9 abeſſe, ſaltationis ſpectandæ ſtudio, an tu putas fore conſultum? BVR.

Vide, nisi submonuisses, egregiè fuissem oblitus: neque venisset in mentem viscerationis, quæ & ipsa in hodiernum diem est constituta. Valeant nuptiæ cum sponso ac sponsa: nos quæ propius ad nos pertinent, curemus.

DIALOGVS XIIII.

De ingenij præstantia contendunt.

XYSTVS ET ALEXANDER.

FOElix tu quidem es mi Alexāder, cui ingeniū tam fœcūdum, támq; perspicax cōtigit. ALE. Est nobis Christo Deo gratia, nō omnino infœlix, sed tamen non tātum, quàm forsan tibi videtur. Fit enim nescio quo modo, vt nostri nosmet pœniteat, aliena ferè suspiciamus. XYST. Et tu quantum audio, aliquid insuper desyderas. ALE. Quidni? quando memoriam mihi censeo omnino fluxam & parum tenacem: nam, vt facilè quæ traduntur, percipio: ita nō sine maximo negotio percepta retineo. XYST. At ego difficulter intelligo, verū semel intellecta, diutisimè reseruo: & vt video, tibi cereum est ingeniū, mihi verò saxeum. Ceræ quiduis facilè impresseris, at impressum vestigium statim euanescit: saxo tametsi quid nō sine labore insculpitur, semel tamē insulptum, multis seculis durat. ALE. Rectè planè confers: sed hoc me malè habet, quòd videas plerósque ingenio numeris omnibus fœlicisimo præditos, ac vicisim moribus adeò tur-

pibus, vt non ineptè dixeris eorum ingenia malè habitare. XYST. Credo dicterium hoc vetus esse, & olim de Galba, homine ad prodigium vsque deformi dictum: sic enim audire commemini. ALE. Probè, sed nec ipse, opinor, ineptè huc detorsi.

DIALOGVS XV.

De signo tintinnabulorum, déque immodico somno.

SERVIVS ET SVLPITIVS.

QVin surgis Sulpiti? iam tintinnabula vltimũ dilucularis sacrificij signum dederũt, & nõ ignoras quanta hominũ frequentia hoc sacrũ peragatur, vt flagitium planè sit nos in tempore nõ adesse. SVL. Iamiam surgam, tametsi caput adhuc sopore graue sentio: vtinam liceret ad satietatẽ vsq; dormire: imitarer certè hodie Horatianos illos iuuenes, quibus pulchrum videtur in medios dormire dies. SER. At ego te diutiùs non operior, ne hæc mora mihi plagas lucrifaciat. Ego hinc abeo: tu quãdo lubet, sequere: aut tuo periculo dormi. SVL. Iamiam te comitabor, ne festina tantopere. SERVI. Nihil moror, nunc non est nugandi locus: à prandio verò, vbi pro more nobis à studiis remißio data fuerit, nugabimur.

DIALOGVS XVI.

De ludendi ratione agunt.

HENRICVS ET FRIDERICVS.

TV nobiſcum pila ludes Friderice, an cum iſtis curſu mauis certare? FRI. Mallem cum vno & altero iucundo ſodali deambulatum ire. HENRIC. Quin tu antè pauliſper pila colludis? poſtea & nos vnà tecum deambulabimus. FRIDERIC. At ego huiuſce ludi non admodum ſum peritus: nam neque cautè pilam mittere, nec miſſam manu ſatis certa excipere ſufficio. HEN. Nihil eſt quòd hac gratia ſis ſollicitus: ipſa rei exercitatio te ſatis, quid facto opus ſit, admonebit. Quòd ſi hinc modis omnibus abhorres: age, ludum minoris negotij, nempe globularem incipiamus. FRI. Quando ita vultis, non recuſo, tametſi præter riſum ſpectãtium nihil me lucraturum ſcio. Siquidem vbi decies aberraro, vix ſemel tandem ferio, ídque caſu magis, quàm arte. HEN. Non magni refert in hoc certamine vincas aut vincaris: neque enim de capite agitur, aut pro pecunia certatur.

DIALOGVS XVII.

De quæſtionibus commiſſorum, quæ die Veneris in ludu exercentur.

IVLIANVS ET DAMIANVS.

EHo noſter Damiane, adeſt rurſus dies, quem ego nõ minus nobis nefaſtum & execrãdum puto, quàm olim Romanis illũ, quo in Can-

nési pugna tot Romanorum millia ab Annibale sunt trucidata. DAMIAN. Quid ita? Num mali aliquid huic scholæ ex hoc die impendet? IVL. Et tu nescis, præsertim tot annos in ludis versatus? DAM. Quî scire possum scholæ huius consuetudinem, nuper admodũ huc profectus? IVL. Quæstiones hodie fiunt in ludo non aliter, quàm quadam carnificina. DAM. Quid narras? IVL. Vera quidem: nam de singulis, quæ per totum septimanæ cursum quoquo modo commisimus, hodie quisque pro se pœnas dare cogimur. DAM. At quî scire possunt præceptores, quæ singuli nos designemus? IVL. Arte quadam omnia expiscantur, vt nihil illis occultum esse posit. DAM. Quid ita? Num diuinationum sunt periti? IVL. Minimè. sed alia via eodẽ perueniut. nam aliquot clanculum in hoc selectis prouinciam dant, nos suos commilitones deferendi, prodendíque: vt nusquam quicquã omnino tutò agere queamus. Semper enim verendum ne quispiam ex eiusmodi corycæis nos auscultet, & lupus sit in fabula: hoc est, ille ipse nobis ignorãtibus adsit, qui quasi conductitius proditor omnia ad præceptorem deferat. DAM. Hoc illud forsan est, quod lupum audio appellari: nam nomen solum in ea schola, vbi antè egi, iactabatur. IVL. Is ipse est ille clancularius lupus, quẽ nos miselli nõ minꝰ odiosum habemus, quàm feram illam quadrupedem horrent oues. DAM. Vereor ne & nos hodie deferat. quamobrem cogitãdum mihi est, vt si forsan reus fuero, vel me expurgem, vel quàm minima pœna defungar.

DIALOGVS XVIII.

PETRVS ET PAVLVS *grauiter ferunt desyderium feriarum, déque capite lauando agunt.*

QVAM vellem hunc diem abiisse, vt à tot totiùs septimanæ laboribus, ac etiam bidui fame, ad ferias demum & carnes liceat redire. PA. Impatiens es moræ mi Petre, qui cum totam penè septimanam expectaris, diem dimidiatum durare non potes? Quid autem facies, vbi totis quadraginta diebus à carnibus est abstinendum? PET. Rectè quidem obiurgas, sed nescio quo modo, quanto viciniores sunt feriæ, tanto magis earum me premit desyderium. Sed nunquid aliud dicere vis? nam ego hinc me in tõstrinam conferam caput lotione curaturus. PAV. Et ipse lauandum caput exhiberem, si lotionis mercedem tonsori persoluere possem: nunc autẽ tantum habeo numum. PE. Sat est, nec ipse pluris lauo, tametsi rarò hos facio sumptus. Nam per anni circulum vix sexies lauo. At sæpè caput à sordibus repurgares: aiunt enim corporis emũdatione, & ingenium nitidius, quasíque purgatius reddi. PE. Sic quidem fertur, ídque propterea ꝙ scientiarum sedem in capite, vtpote rationis domicilio, collocant: quare ocyus eamus. PAV. Quando lubet.

DIALOGVS XIX.

De canticis, déque feriis diui Martini.

GEORGIVS ET CHOVNRADVS.

AGE mi Chounrade, quo cantico per hanc hyemem ſtipem colligemus? Etenim in hac vrbe mos eſt vt ſcholaſtici aliquot coniunctim compoſitis in hoc cantilenis, diuitum conuiuia exhilarent. C. Tuum fuerit diſquirere, qui rei muſicæ peritiam habes, quíque huius ſcholæ inſtituta melius quàm ego, tenes. G. Quãdo in me hanc curam reiicis, aliquid minimè vulgare diſpiciam. Sed die abhinc octauo quid fieri ſoleat, noſti? C. Dic quid? G. Erunt tum feriæ præcidaneæ Diui Martini. C. Quid tum? G. Eſt tũc meſſis nobis ſcholaſticis vberrima: ſiquidem in eius diei veſpera, non eſculenta ſolùm nobis largius ſolito dantur, ſed & ſtipem egenis dari oſtiatim eſt receptum. C. Bene mecum agetur: quandoquidem corraſurum me ſpero, quo hyemem cõmodius tranſigere valeam. G. Ita ſpero quidem: quare ad tempus vt præſto ſis, vide.

DIALOGVS XX.

De ieiunij violata religione, déque diuæ Catharinæ, ſtudiorum præſidis, numine.

MARTINVS ET VALERIVS.

QVID agis omnium impuriſsimé? V. Quid adeò in me ſtomacharis, qui aliud facio nihil, quàm quod ientaculũ capio? an tu iéta-

culum perinde ducis, ac piaculum? M. Quasi nō ſat graue ſit piaculum in homine Chriſtiano ieiunij religionem violare. V. Et hodie eſt indictum ieiunium? dic quo nomine? M. Sceleſte, neſcis ferias beatæ Catharinæ artium præſidis agēdas? V. At nō putaram præcidaneas has ferias ex eccleſiæ inſtituto ſacras. M. Quid tum? cōſuetudo recepta eſt pro lege: & vt nulla ſit cōſuetudo, nobis tamē qui literas ſectamur, quibus hæc virgo præſidet, hic dies ieiunio religioſiſsimo fuerat colēdus. V. Ieiunabo ergo deinceps vel hoc ſumpto iētaculo: neque enim lautum ſpero prādium: & vt vulgò dici audio, Bis interdiu malè paſci, pro ieiunio eſt. Tametſi vt me tibi aperiam, hactenus CHRISTVM verum ſapiētiæ præſidem putaui, vt qui ſapiētiæ nomine ſubinde in eccleſiaſticis cōcionibus celebretur. M. Noua quædam inducere conaris: at ego communi omnium via ingredi malo. V. Nō audiſti illud Pythagoræ, Per publicam viam ne ambules? M. Moleſtus es: tu tuū, ego meum iter ingrediar.

DIALOGVS XXI.

De frigoris iniuria queruntur.

HIPPOLYTVS ET CLETVS.

O Quam ſunt fœlices, quibus per opes iā licet domi ad caminū, aut calefactū hybernaculū adſidere! C. E diuerſo, quàm nos infœlices, qui miſeri nullis pellibus, imò nullis penè veſtib⁹ aduerſum frigoris iniuriā armati, per medios imbres niues & glaciē, oſtiatim quęrere victū cogi-

mur. Sed ſolatur me illud Flacci,

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecítque puer, ſudauit & alſit:
Abſtinuit Venere & Baccho.

Alioqui, ſi ſimilis eſſet exitus illorum & noſter, non eſſet cur non iniurium Deum dicerem, qui tam iniquè res humanas adminiſtraret. HIP. Quin taces, nequid ferocius in Deum effutias.

DIALOGVS XXII.

De feriis diui Nicolai, déque creando epiſcopo.

LVCANVS ET STATIVS.

QVID tu nobis adfers noui mi Stati? STA. Nihil: ſed in hoc te conuenio vt de communibus ſtudiis fabulemur. LVCAN. Gratus ergo mihi tuus eſt aduentus, adſide huc nobis. STAT. En adſideo. LVCAN. Scis quid in diui Nicolai feriis apud noſtrates fieri ſoleat? ST. Qui ipſe poſſem ſcire, cum illic fuerim nunquam? LVCAN. Dicam ergo paucis: qui ludum illic literarium frequentant, ex ludimagiſti præſcripto quempiam è ſuo grege epiſcopum creát, cúmque magna pompa domum deducunt, & ſtato tempore in templum reducunt. STAT. Quid commodi inde capit nouus ille & factitius epiſcopus? LV. Neſcio, niſi quòd conuiuio tandem neſcio cuius ſumptu inſtructo excipitur, & tamen lautiſsimè tractatur. ST. Non & interim, dum in magiſtratus eſt, vocationem à diſcẽdi munere habet, aut æquè ac cæteri manum ferulæ ſubdit? L.

Aequè omnino, adeò vt nō ſit magis epiſcopus, quàm ſunt hi reges, qui in tragœdiis Agamēnonis, aut Priami perſonam gerunt. ST. Eiuſmodi honorem mihi ne optarem quidem.

DIALOGVS XXIII.

De variis ſpectaculis colloquuntur.

IACOBVS ET THOMAS.

QVID cras ſit futurum audiſtín'? THOM. Nihil equidem, niſi quæ aliàs fieri conſueuerunt. IACOB. De ſpectaculis nihil? THOM. Nihil planè: num edentur aliqua? IACOB. Edentur, & quidem varia: nam funambulos duos adeſſe audio, qui cras ſui artificii miraculum oſtentabunt. Tum ſarmatas aliquot ipſe vidi, qui immanes vrſos ad exiguam ſtipem, iuxta lituorum cātus ſaltitantes exhibebūt. THOM. Curabo quoquo modo vt & ipſe interſim, etiam ſi me ipſe intrudere debeam. I. Vix poteris: quandoquidem qui non numerant, foras quatiuntur. THOM. Fallam ipſos ianitores. I. Ad hæc, princeps ipſe in foro paria aliquot equitum exhibebit, qui inter ſeſe infeſtis haſtis concurrent. poſt quos circū ingredientur itē equites à calce ad verticem vſque armati, quos cataphractos vocant: hi cateruatim ſine vllo aut ordine, aut arte alius in alium irruent, & ſe mutuis ictibus ab equis deiicient. Nam in hoc circus vndique eſt circūſeptus: & ne qui ceciderint, grauius lædantur, fimo inſtratus. THOM. Quam, quæſo te, voluptatem ex tam furioſo, & minimè iucūdo

certamine capiũt isti? I. Quid? nullas nõ lautitias præ hac voluptate contemnunt, præterquam ꝙ hoc tyrocinio ad ferios hostium congressus preparantur, & quasi animantur. TH. Vtcunque sit, spectabo & ipse quo modo res agatur.

DIALOGVS XXIIII.

De ieiuniorum ratione differunt.

CHOVNRADVS ET AEGIDIVS.

MALE sit istis, nescio quib⁹, qui totum penè annum ieiuniis onerarunt. Neque enim satis fuit eis quadraginta dies perpetuo Christi ieiunio esse saçros, nisi insuper quarta quaque anni parte, aliquot dies nos macerassēt. Instat rursus septimana per abstinentiam transigenda. Quòd si mihi tantò apparatu prandium apponeretur, quantò illis qui ieiunia hæc indixerunt, nõ admodum grauatim eis parêrem. nunc cum vix toto anno semel rugientem stomachum exatiem, adhuc ieiuniis vexor. AEGID. Quid ita stomacharis mi Choũrade in sanctos ecclesiç patres? qui hæc omnia bono animo statuerunt, non nobis qui hæc nec præstare per ætatē adigimur, nec per inopiã possumus, sed sui similib⁹, hoc est diuitib⁹ istis & delicatis. C. Quî scis hęc? AE. Superiori anno è quodã cõcionatore audiui, qui diuo Hieronymo (quanquã acerrimo ieiuniorum exactori) displicere aiebat maximè in teneris ætatib⁹ lõga & immoderata ieiunia: ne, queãdmodũ ipse scriberet, antè pedes deficiant, ꝙ currere inci-

piant. Quare tantum ieiuniorum modum imponendũ, quantũ ferre poterimus. C. Habeo gratiam diuo Hieronymo, qui pauperculis nobis & impatienter esurientibus patrocinatur.

DIALOGVS XXV.

De feriis natalitiis CHRISTI *confabulantur.*

PENIVS ET FRANCISCVS.

ET gaudeo, & doleo mi Francisce, festa hæc natalitia appetere. Gaudeo quidem quòd hę feriæ omnia læta & festiua secum apportant: doleo autem, quòd scholasticis nobis in addiscẽdis horum festorum cantionibus grandis est exhauriendus labor. Præterea totis diebus in templis algendum. Postremò & illud vereor, ne si matutina sacra, alto nimis sopore detentus, neglexero, & plagas mihi lucrifaciam. FRANCIS. Vera sunt hæc quæ dicis: attamen quando hanc conditionem accepimus, aduigilandum nobis erit, & omnia fortiter perferenda: nam & peiora his passi sumus. dabit Deus his quoque finem, vt taceam hcs nostros labores in pietatis cultum cedere. P. Certè plus satis delicati essemus, si non tãtum molestię vel pel pro solo Christo deuoraremus: cuius respectu tot infantiũ innocens ætas crudeles barbarorum militum gladios est perpessa, cuius rei memoria & his feriis coniuncta est. F. Sed illud, quęso, quid sibi vult, quòd sacrificuli in diui Ioannis feriis popularibus vinũ è sacrato calice propinãt? P. Nescio equidem, nisi quòd

audiui hoc poculum,vtpote ſacrum,antidoti vice eſſe contra veneni pericula. F. At ego nolim hac fiducia cicutam bibere, quantũuis ſit hoc poculum,vt dicis,ſacrum.

DIALOGVS XXV.

De noui anni ingreſſu loquuntur, déque mißitandis ſtrenulis.

BRVTVS ET PETRVTIVS.

FAuſtum annum hunc nouum & fœlicem tibi precor mi Petruti. PE. Et ego,vt cum fœnore tibi reponam, non hunc ſolum qui iam ingreditur, ſed omnia totius vitæ tempora beata tibi opto. B. Tametſi mallem ſtrenulam mihi potius dares, quàm magnificam illam & ſolennem imprecationem. P. At quas ſtrenas dare poſsit Petrutius, qui præter pauculos libellos habet planè nihil? B. Libellum quempiam dares, quando bellè quadrat, vt homo literis deditus, literarium quoque det munuſculum. P. Verùm hac liberalitate ſtudiorum meorum iacturam facerem, quod nec ipſe, ſi modo amicus es, nobis ſuadebis. BRVT. Iocabar tecum,& te,quid animi haberes,volebam pertentare,cum has conſuetudines nec ipſe magni faciam, vt qui iam ſæpè audiuerim eas nobis è gentilitate relictas. Cuius generis eſſe audio,quòd in quibuſdam Chriſtiani orbis regionibus pridie feriarum, quæ tribus Magis ſunt ſacræ, ſingulæ domus ſingulos reges creant:nam hæc omnia ex Ethnicorum Saturnalibus in hæc vſque tempora defluxiſſe apparet.

P. Quia trium Magorum mentionem fe-
ciſti, velim ſicubi aut audieris, aut legeris, ipſe
mihi expedias primùm quid ſibi velit, quòd eos
diuos alii reges,alii Magos appellẽt quod poſte-
riùs ego de ſolis maleficis & præſtigiatoribus di-
ci putabam:nam vtrunque,vt noſti,in ſacris cani
mus. Deinde cur hæ feriæ Græco vocabulo
ἐπιφάνια nuncupentur. BRV. Dicam quæ ſuper
hac re partim ex præceptore dictante, partim cõ
cionatore ſuperiori anno excepi. Principio Ma-
gorum appellatione,Chaldæi non vt vulgus pu-
tat,præſtigiatores, ſed viros ſapientes nuncupãt,
& ſecretorum naturæ conſcios, quorum profeſ-
ſio à quibuſdam etiam LatinisMagia naturalis di
citur.ſed quia hæc res finibus ſuis non contenta,
temporis progreſſu in curioſam quandam dæmo
num impoſturam eſt delapſa, cœpit honeſtiſsi-
mæ artis vocabulum probro eſſe. Quòd autem
iidem hi reges in pſalmi prophetia dicuntur non
ſic eſt accipiendum, vt hodie ſunt reges, hoc eſt
tot ditionum potientes, ſed qui quoquo modo
magiſtratum gerunt,ſuntque numero vulgi exẽ-
pti. Quo modo & Heſiodus corruptos iudices&
aduocatos, βασιλῆας δωροφάγους appellat. Porrò
apud veteres theologos Græcos, vt Gregorium
Nazianzenum, audio ipſa natalitia feſta, ἐπιφάνια
dici conſueuiſſe, quòd in his Deus homo ap-
paruerit. Verum quòd & Magorum ferias hoc
vocabulo celebrant, hinc opinor eſſe, quòd illis
dux ſtella apparuerit. Habes quæ ego de hac quę
ſtione audiui.Plura ſi vis, ex doctioribꝰ require.

DIALOGVS XXVII.

De cereis in feriis beatæ Virginis gestandis agunt.

VALERIVS ET NICOLAVS.

QVid tu cereũ non habes mi Nicolae? NIC. Vnde haberẽ: qui nec pecuniã, qua victum emere poſsim, habeo? Sed ſi domi apud meos agerẽ, nugas eiuſmodi mihi pararet mater. V. Et tu nugas vocare audes res ſacras? N. Quid ni? neque enim ſtatim fuero hæreticus, etiam ſi nullum geſtem cereum, maximè cum nõ ſit vnde emã: tum & Chriſto putarem lõgè fore gratius, ſi ſumptus, quos cereis emẽdis facimus, in pauperũ vſus cõuerterentur. V. Atqui eſt hæc laudabilis cõſuetudo. N. Eſt omnino, ſed nõ adeò, vt præ ea, meliora & magis Chriſtiana officia negligi debeant. V. Rectè putas: nam & ipſe ſæpè ſtultam muliercularũ pietatem riſi, quæ ſuffigẽdis etiam quotidie cereis triginta ſex, adeò ſibi placẽt, vt per hoc, cælum ſe demereri credant, quãtumuis fortiter in platéis pauperes eſurient.

DIALOGVS XXVIII.

De Bacchanalibus Christianorum fabulantur.

FABINVS ET FRANCISCVS.

QVid cauſæ eſt Franciſce, quòd heri ludum nõ es ingreſſus? F. Grauiter ex capite laborabã, vt lucem ferre nõ poſſem. FA. Bellè morbũ excuſas, quãdo vulgare iã eſt ſcholaſtico, ſiquãdo vel diſcẽdi ſudorẽ horreãt, vel ferulã metuãt, ignauiæ ſuæ valetudinẽ prætexere, vt ſcholaſticus morb⁹ pro aſsimulato & cõficto, iã pridẽ in prouerbium abierit. F. Quid alij faciãt neſcio:

certè quod ad me attinet, mallem decies ferulam pati, quàm semel in eum dolorem recidere, etiam si vix dũ planè reualui. Sed quid tute iam hîc versaris? an non hora iam est præceptoribus auscultandi? F. Est, sed ob hæc Christianorum quasi Bacchanalia tridui missionem nobis dedit præceptor: vetuit tamen graui, siquis dicto audiens nõ fuerit, proposita pœna nequis opificum istorum manuariorum exemplo larua personatus vicatim cursitet, quòd hæc insania cum bonis omnibus, tum maximè Christianis sit indigna. FR. At ego iamdudum laruam in hũc vsum domi inclusam adseruo. FAB. Vide quid agas, nam de laruis cautum est. Porrò compotationes & cantiones ciuiles indulsit. FR. Parendum erit: alioqui post impermissa gaudia fortiter plorabimus.

DIALOGVS XXIX.

De ieiunio, déque confessione, quam vocant agunt.

VITVS ET SEVERVS.

QVID istud portendit Seuere, quòd ita cogitabundus inambulas? nam mihi arduũ quiddam meditari videris. S. Rogas? quasi non ipsum hoc tempus te, quid agerem, docere possit. VI. Ieiuniis ergo crebris te maceras, vt eiusmodi faciem exhibeas? S. Minimè, sed quæ parum religiosè in Deum conditorem, ac eundem liberatorem malè gratus admisi, ea nunc in memoriam reuocare studeo. Iam enim tempus

ſimul ac eccleſiæ edictum poſtulat, vt peccata noſtra diligẽter excuſſa, tutis ſacerdotum aurib' cenſenda deponamus, quò ab eis de peccatorum ratione edocti, videlicet quæq; leuia, quæq; grauia ſint, deinceps cautius viuamus. V. At incurius ego, ne ſemel quidẽ adhuc de re tanta cogitaui. SE. Hac ratione nihilo es melior, quin maturè nobis hoc munere defungendum eſt: nimirum vt hoc confitẽdi onere, quo nullum eſt grauius, liberati, diui Gregorii, ſtudiorum præſidiis, ferias agamus expeditiores. V. At iſtis feriis, quæſo te, quid tandem agitur? SE. Quia is diuus ſtudiis, vt dixi, præſidere putatur: pueri qui ſuam ętatem in literis agere volunt, eo die in hanc noſtram militiam nomina dant fauſtis, vt ominãtur, auſpiciis. VI. Et quando hæ erunt feriæ? S. Die, ſicut opinor, abhinc decimo. VIT. Quando ita ſuades, & ipſe mihi auricularium ſacrum (ſic enim vocant nonnulli eruditi) quęram, in cuius ſinum mea delicta effundam. S. Si lubet: eum accedẽdi dabitur facultas, quem ipſe iam ſemel atque iterum diligentem ſum expertus. V. At ego mallem oſcitãtem aliquem, quem non magno negotio in aliquot criminibus fallere poſſem. SEV. At hoc non eſt Chriſtianum agere, ſed vulpinam fraudulentiam referre: verùm tu videris.

DIALOGVS XXX.

MARCELLVS ET ANTONIVS.

SAlue Antoni. ANT. Et tu mi Marcelle. M. Quid eſt quod ita diſcurris? quem quæris? A. Quæro qui mecum rus eat, mihíque in emendicandis ex more ouis ſit ſocius. M. At hæc cõſuetudo praua eſt, & indigna eo qui ſe liberalibus ſtudiis addixerit. Quid enim ſeruilius, quàm decem ouorum gratia, agreſtium caulas oſtiatim abambulare, ac interim domi lectionum iacturam facere? A. Sed vnde famem pellam, ſi non cibos vndecunque conquirere licet? M. Hîc in vrbe quantum naturæ ſatis eſt, nanciſci potes: nam quorum beneficio totius anni victum conquiris, eorundem benignitate & paucos dies tranſigere poſſes. A. Fruſtra te appello: ſeuerior es, quàm vt tecum rem habere velim: ipſa es ſapientia. M. Age, age vt lubet.

DIALOGVS XXXI.

De ſanctorum communione colloquuntur.

PAVLVS ET LVCAS.

OBſecro te mi Luca, modis omnibus nos excutiamus, atq; ab omni peccatorum ſorde pœnitẽtiæ ſcopis repurgemus, ne ad tãti principis, qui ſemel nutu nos perdere poteſt, mẽſam illotis quaſi manibus accedamus, & panem illũ cę-

lestem ac admirandum, polluto ore, imò & animo sumamus, de quo heri tam pia, támque frugifera disseruit ludimagister. LVC. Equidẽ pro mea virili ad hoc enitar: sed rogo, quidnã de hoc mysterio disputauit præceptor? nam ipse nõ interfui. PAVL. O miserum qui talia negligis. LVC. Adesse non quiui, alibi occupatus: quamobrem vehementer oro & obtestor, ne mihi rem adeò salubrem inuideas. P. Aiebat tantam esse virtutem huius admirãdi cibi, vt qui eo ritè vescerentur, fierent vnum corpus atque vnus spiritus cum Christo, sicq; in Deum, Deíque filium abirent. Sed siquis impurus contingat, eum non salutem, sed extremã animæ perniciem sibi inuenire. hortabatur ergo nos omnes, vt his diebus peccatores cũ Christo in cruce moreremur, quo fœlicius & synceriori cum gaudio, vnà cum eo in vitam trãseamus. Hoc enim dicebat significari per hæc appetẽtia nunc festa, quòd Pascha, Hebræis trãsitum, à morte peccatorum ad vitam virtutum sonet. L. At interim quid fit de placentis, & id genus aliis bellariis, quæ ad imminentes has ferias parare consueuerunt? Non & de illis quid audiuisti? P. Apage, tuus animus iam est in placẽtis, quum hoc temporis articulo Christus olim de vita sit periclitatus. Placẽtæ atque huius generis illecebræ aliæ suo loco sermonem dabunt: nunc de alio cibo soliciti esse debemus.

DIALOGVS XXXII.

De lustratione vrbis & aruorum fabulantur.

VRBANVS ET CHILIANVS.

Quid est Chiliane, quòd tanto molimine platéas & vicos omnes verrunt? nō princeps quispiam huc est venturus? CH. Minimè: sed quiddam cras est futurum, cuius gratia meritò hic fit apparatus. VRB. Quid hoc quæso? CHIL. Solenne iam est, crastino die vrbem corpore Cristi lustrare: siquidem primarius hic sacerdos sacratissimum hoc corpus circum mœnia gestabit, vniuersa sacerdotum manu, atque item populo omni, à tergo sequentibus. VRB. Sacra forsan erunt, quæ nonnulli Ambarualia non ineptè vocari volunt. CHIL. Erunt. VRB. At quando agentur Ambarualia? sic enim vocantur quæ apud Ethnicos erant Robigalia, Paliliáque. CHIL. Perendie. VRB. Num & nos eis sacris adesse oportet? CHIL. Maximè, pariter & clericorum ordinem omnem. VRB. At apud nostrates, soli agrestes, sacrifico præeunte, agros obequitant. CHI. Suus cuique regioni est mos, qui pro lege est habendus.

DIALOGVS XXXIII.

De spectaculis comœdiarum, tragœdiarúmque exhibendis fabulantur.

LEOPOLDVS ET SEVERVS.

SCIS Seuere, quæ spectacula die crastino, qui est à feriis sacratissimis corporis Christi octauus, edi consueuerint? SEVER. Qui ipse scire possem, cum superiori anno non adfuerim? LEO. At audisse ex aliis poteras. S. Quæ ad me parum attinent, ea non magnopere soleo exquirere. Sed dic oro, quid tandem est quod iactas? L. Tragœdiam eorum cruciatum, quos pro nobis tulit seruator Christus, histriones agẽt: sunt enim ad hoc delecti aliquot. S. Quæso te, omnibus etiam adhibitis personis? L. Omnibus omnino. S. Ipse in hac fabula mallem durissimi militis aut carnificis personam gerere, quàm ipsius Christi. nam tametsi, vt coniicere possum, res fictè repræsentabitur: sic tamen abire non potest, quin is, qui Christum refert, multas interim molestias in se recipere cogatur. L. Et ipse in hac fabula spectator esse malo, quàm actor, vtcũque res interim agatur seria.

DIALOGVS XXXIIII.

De coronis gestandis, déque earum vario genere colloquuntur.

BASILIVS ET GREGORIVS.

VNDE tu te proripis Gregori? aut vbi hanc coronam rosaceam es nactus? GR. E foro veni, mi Basili, vbi certum hoc numo mihi coemi. B. At in quem vsum? G. Animus est eã capiti impositam gestare. Nónne vile tibi videtur tot rosas vnico numolo parari? B. Et te tantum asinum non pudet puerorum ritu, coronatum incedere? G. Puderet? grandes natu, & cani etiam hîc gerunt. B. Nihilo ergo sunt grauiores: forsan hunc morem à Græcorum mollitie sumpserunt, quos apud Homerũ subinde καρηκομόωντας audio dici. G. Vnde sumpserunt equidem nescio, hoc scio quòd gestant. B. Num solas rosaceas gerunt, & an violaceas pariter & liliaceas, aut etiam rosmarino, vel amaraceo intertextas? G. Omnis generis flores, ac odoramenta concinnant. B. Faciant vt lubet, ego nihili pendo istas nugas, tantũ abest, vt pretio emere velim: quòd si pecunia superesset, vernum butyrum emere malim: hoc enim in alimentum cederet, cum sertorum, si odorem excipias, nullus planè sit vsus.

DIALOGVS XXXV.

De feriis diui Vrbani, confabulantur.

RAPHAEL ET SERVATIVS.

VTinam alas mihi ſumere liceret, vt hinc domum auolare poſſem : etenim nimis quàm cupio craſtinum diem in patria tranſigere, quam facultatem magno emere non recuſarem. S. Quid hic ſibi vult?tu te homine exuto in volucrem mutam vis degenerare?aut quid noui accidit quod tam repentinum tuum iter poſtulet. R. Rogas?neſcis cras ferias agi diui Vrbani. S. Noui:ſed quid tum? R. Hunc diuum eodem penè ritu, & iiſdẽ ceremoniis colunt noſtrates, quibusEthnici olimBacchum:vt quæ illis erantBacchanalia, nobis penè ſint Vrbanalia. S. At in quem vſum faciunt hæc Chriſtiani? R. Putant hoc diuo ſic placato fœlicius prouenire vuas. S. O ſtolidos homines, qui ſanctorum numina crapulis ac compotationibus demereri ſe credũt, cũ illi abſtinentia & ſobrietate principi Deo placuerint!

DIALOGVS XXXVI.

De commodis ac moleſtiis variorum temporum differunt.

CORNELIVS ET GVLIELMVS.

VT NIHIL eſt vſque ex omni parte fœlix! Quid ſtomacharis tecũm mi Corneli? COR. Num iure ſtomachor,

cia in Calendarium scribit. Postremò cogitādum semper, sic placuisse naturæ conditori Deo, vt in mundo nihil sit hominibus omni ex parte beatū, quo videlicet ex his mundi perturbationibus ad aliam patriam aspiremus.

DIALOGVS XXXVII.

PANDVLPHVS ludimagistri minister HIERONYMVS scholasticus, & LVDIMAGISTER, consultant in quam potissimum Academiam studioso sit commigrandum.

PAND.

QVid tu hoc ante ostium Hieronyme? aut quid hîc tibi negotii est. HIERO. Ludimagistrum cōuenire volebam: sed pulsare cunctabar, veritus ne intempestiuè fortasse venirem: quare te pro veteri nostra consuetudine rogo, vt hîc me adstare significes. P. Faciam: tu hîc tantisper morare, dum quid rerum sit, huc renuntio. Here quod iniunxeras, diligenter est curatum. LVD. Benefactum. Atqui is est quicum pro foribus fabulantem te audiui. PAND. Scholasticus quidam nomine Hieronymus, tibi familiariter notus, qui te, si modò tempestiuum est, coràm alloqui cupit. LV. Intromittatur: iam nunc quid velit, coniicio. H. Salue humanissime præceptor. L. Et tu saluus sis optime adolescens: sed quid est quod me velis? H. Paucis dicam. Quia iam biennium te in hoc ludo docentem audiui, vtriusque literaturæ prima rudimen-

ta tua ope vtcunque percepi, hortatur nunc me tum parens, tum etiam hæc mea ætas maturior, vt hinc Academiam aliquam ad vberiorem ingenii cultum capiendum me conferam. HOC vt fœlicius faciam, tuo cõsilio opus est: nam inter tot, vt vocant Vniuersitates, quot iam olim sunt instituτæ, & hodie passim nouæ exoriuntur, mihi eiusmodi rerum ignaro, difficile planè est eius, quæ omnium sit instructissima, & meis studiis accommodatissima, delectum habere. LVDIM. Prudenter hîc deliberas Hieronyme. Sunt Academiæ, ídque in Germania, quas vehementer probem: sunt item quas cupiam vel omnino non esse, vel in totum immutari: vt enim in re militari duci dux, & militi miles: vt in Repub. senator senatori, & ciuis ciui, artifex artifici: vt denique homo homini: sic schola scholæ, doctor doctori, magister magistro præstat. Quod discrimen qui nõ aduertit, operam & oleum (vt aiunt) plerunque perdit: ac, vt certum aliquid ꝙ hîc sequaris habeas, in hac deliberatione spectandum erit, non quæ magnificis ædificiis (tametsi & hæc decoris aliquid addunt) sed optimis omnis generis præceptoribus sit instructissima. Primùm, quæ trium linguarum professores habeat & doctos & bonos: hoc, vt velint: illud, vt possint rectè docere. Siquidem Latinam, Græcam, & Hebraicam linguas in Christianorum scholis doceri Pontificiæ leges iubent, & veterum theologorum exempla suadent, ac denique Christianæ Reipub. vsus exigit. Habeat denique theologos, si non plures, vnũ saltem, aut alterum, cum scripturarum intelligẽ-

tia, tum vitæ ſanctimonia egregiè probatos: tum iureperitos non minus prudentia, quàm & facundia laudatos. Adhæc medicos, quos naturalium rerum profunda cognitio, & curandi fides perſpecta commendet. Poſtremò philoſophos, non qui ſophiſticam rixandi pertinaciam ex ineptis barbarorum commẽtariis inculcent, ſed qui philoſophando Platonis maieſtatem, acumen Ariſtotelis, Theophraſti eloquentiam proximè referant. Quanquam autem Gymnaſium eiuſmodi minoris negotij eſt deſcribere, quàm vſquam inuenire: ad præſcriptam tamen imaginem vtcunque accedunt hîc in vicino ſitæ, LIPSIA ET VVITTEMBERGA. Nec ERPHORDIA cuiquam eſt aſpernenda, vt nec BASILEA. Super omnes verò, trium linguarum profeſsione floret LOVANIVM, ſchola vel hoc nomine omnium fœlicisſima, quòd magnum illum & ſapientiæ & eloquentiæ principem habet ERASMVM: & ſummum illud eccleſiaſticæ dignitatis ornamentum, Albertus Cardinalis magnum quiddam Moguntiæ ſuæ molitur. Quod ſi proceſſerit, erit quo ſe Germania exteris hominibus venditet. Porrò illud in primis tibi cauendum, ne ad ſublimes illas profeſsiones, quas vocant, illotis (vt aiunt) pedibus irrumpas. Quin modis omnibus curandum, vt vtriuſque literaturæ modiocri cognitione præparatus accedas. ſic enim futurum, vt in diſciplinis his grauioribus citius & facilius quoquò tendis, peruenias, & rectum in rebus omnibus iudicium conſequaris. Hoc qui caret, fruſtrà ſe aliquid fœliciter

discere sperabit. HIE. At in eiusmodi scholis receptum audio, vt scholasticorũ quisque præce ptorum quempiam sibi deligat, quo familiariter vtatur:non tantùm ad literarum studia, sed & for mandos mores:hic quid mihi faciendum suades? LVDOVIC. Quid aliud, quàm vt antequam te alicui in disciplinam dedas, diuitum istorum delicias imiteris?qui, cũ multa vini dolia in cellis habeant reposita, non statim è quouis bibunt, sed pitissando, omnibus ex ordine degustatis, quod firmissimum fuerit & suauissimum, hoc demum in palati sui vsum relinunt. Quin ergo& tu, & cum ex aliis sciscitaris, tum multos eximios eiusdem professionis doctores audiendo exploras ipse, cui potissimum ingenii tui solum rectissimè excolendum loces? Tametsi sunt & aliæ cõ iecturæ, quibus in hoc vti posis, vt sicui suæ lucubrationes insignem peperere famam : siquem eruditorum calculi aliquot probent:sicui ab aliis eiusdem musæ æmulis insigniter inuideatur: siquem vel iudicium principis, vel Reipublicæ cõsensus à contemptu vindicet: sicui magna sit lectissimorum iuuenum frequentia:siquis discipulos aliquos egregiè doctos reddiderit:denique siquis Pythagoræ exemplo non quenque statim in disciplinam suam recipiat, & aliis plura ac meliora pluris quoque doceat. Caue enim committas ad quenquam te alliciat sumptus vilitas, aut à quoquã deterreat impensæ magnitudo: quando ferè fit, vt qui paruo docent, parua: qui magno magna quoq; doceant. His indiciis si prudenter vtêris, vix vnquam tibi imponet quisquam. Cæ-

tera rerum vſus, optimus magiſter, ætatis progreſſu te facilè docebit. HIE. Sat eſt. Quod reſtat, pro ſalubri adeò conſilio gratias tibi immortales tuus agit Hieronymus, ſiquando dabitur facultas, egregiè quoquo relaturus. LVD. Nihil addubito. Tu, quod tibi fœlix ac fauſtum ſit, ad bonarum artium mercaturam proficiſcere. Vale.

Doctissimo viro Simoni PEHM, GYMNASIARchæ in monte diuæ Annæ, Christophorus Hegendorphinus S. D.

CIRCVNFERVNTVR passim, vir doctissime, Dialogi virorum doctissimorum pueriles loquendi formas repræsentantes: id quod vix dici potest quàm pueris vsui futurum sit. Errant illi & vehemẽter errant, qui non his loquẽdi formulis pro positis, puerorum linguam expolitiorem reddere laborant. Erasmus ille magnus alicubi hoc ipsum cum pueris faciundum esse admonet: eius calculum nemo non candidè probat. Quapropter & ego illorum virorum stimulis excitatus, Dialogos quosdam ludere cœpi. In quibus si non omnia virorum superiorum vestigia imitabor, ignoscere debes. Mihi non tā propitius Mercurius est, mihi non iam dulces camœnæ: quicquid possum, reddo: non gloriolæ choragium ambio, contentus, si quantulacunque vtilitas ad bonæ mentis adolescentes emanarit. Tibi autem viro doctissimo dedicare hos Dialogos visum est, quòd soleas rebus ipsis impensius fauere, ex quibus puerorum lingua vtcunque expoliri potest. Et non paucis annis huc omnes conatus destinasti, puerorum vt balbuties succurreres. Et ego mutuam tibi operam præstare non erubesco tua humanitate fretus, qua neminem non in & laboris & honoris collegium asciscis. Accipe igitur quicquid est xenioli: grauiora, Deo auspicante, dabimus, si has nugas non omnino displicuisse videro. Vale.

Georgius & Christophorvs de veris temperie colloquuntur.

GEORG. SALVVS sis mi Cristophore. CHRISTOPHOR. Et tu salue. GEORGIVS. Quid rerum agitur hoc iam veris tempore? CHRISTOPH. Nihil equidem rerum, nisi quòd plurimùm gaudeo asperum hyemis tempus defluxisse, atque iam amœnissimam veris temperiem appetere. GEORGIVS. Ecquid refert quo tempore viuas, modò in literis viuas? CHR. Tu pol homo non es sobrius, hyeme, quæ mala exhauriamus, tuo ipsius, opinor, periculo expertus es: nempe quòd malè vestitus, & sæuiente iam bruma, ciuium domos quæritandi victus gratia oberrare cogeris, & aliquando ita frigore manus obrigescunt, vt ægrè ollam in manibus gestare queas. GEORG. Bellè narras: acurem tetigisti: sed ego hoc ipsum infortunium, Deo laus, nondum expertus sum, vt qui à parētibus semper tot commeatus capiam, quò hyemis sæuitiam propulsare posim: quanuis ita exhaustus sim vt neque quid edam, neque quid bibam restet. CHRIST. Non est quod te hoc tempore maceres: in patriā cōcede, & commeatu in futurum æstiuum tempus te instrue. GEOR. Memorem mones, & vt Homerus ait, σπεύδοντα ὀτρύνεις. Ego ipse iam

eo misſionem à præceptore petiturus, quò in patriam me conferam. CHR. Et mihi animus eſſet patriam inuiſere, ſi ſperarem me quippiam à patre corradere poſſe. Sed è pumice citius, ſat ſcio, aquam extorſeris, quàm vnum à patre numulum, tam philargyrus eſt, tam ſemper veretur ne ad incitas redigatur. G. Et quæ, malùm, demẽtia eſt patrem velle literis te addicas, & non mutùa pecunia ſtudia tua alere & fulcire? Pecunia opus eſt: alioqui nihil omnino in literis agas, neceſſum eſt. Vnde non immerito comicus quidam plutum diuitiarum deum loquẽtem facit, δι᾽ ἐμοῦ πάντα γίνεται, id eſt, per me omnia fiunt. CHRIST. Quid ais? ego, quantum in me ſitum eſt, reddo, proborum hominum opera ſuffultus. Nam hactenus, laus ſuperis, nunquam pecunia defuit ad comparanda dictata ſcholaſtica. G. Sed hac de re poſthac, ne in lente vnguentum, quod dicitur. Nunc quod noſtri eſt inſtituti, affectũ curabimus. Accedamus præceptorẽ. C. Sat ſcio, non permittet nos patriã inuiſere: vix enim quadrageſimæ carceres ingreſſi ſumus. G. Tu pol tuã ipſius vmbrã reformidas, mihi negotium curandum da. C. Deus fœliciter vertat. PV. Ad malos coruos, quis ita fores pulſat? En Georgi, en Christophore, quid veſtra cupido eſt? quid aduẽtus veſter præ ſe fert? GEOR. Eſt præceptor intus? PV. Eſt. GEORG. Quid rerum molitur? P. A prandio domum rediit, vltrò citróque commeans. GEORG. In tempore aduenimus: paucis eum compellare velim, niſi aliis vàcaret. PV. Hîc pedem fugite donec reuertar: periculum faciam quid rerum agat.

Præceptor humanisſime, ſunt pro foribus duo adoleſcentes, qui paucis cum tua humanitate agere volunt. PR. Qui ſunt? huc accerſantur. GE. Salue præceptor humanisſime. PR. Et vos ſaluete: quid eſt quod me vultis? GEO. Non ignoras præceptor humanisſime, iam quadrageſimæ tempus inſtare, in quo non parum propter commeatus penuriam, fame maceramur, pecunia ad viuum vſque denudati: nec obulus reſtat quo reſtim emamus. Quare velim tuo fauore patriã repetere nobis liceat: gratias interim agentes, quòd nos in ſcholaſticorum album aſcripſeris, & optimis quibúſque artibus nos erudieris, olim gratias relaturi, ſiquando per fortunam nobis licuerit. Et quod impræſentiarum nobis non datur, Deus Optim. Max. cumulatius rependet. PRAEC. Mirum eſt vos tam citò hinc auolare velle: octo aut amplius ſeptimanæ ſuperſunt, prius quàm prælectiones veſtræ ad vmbilicum deducantur: & vos iam hinc diſceſſum adornatis? ſi meo cõſilio obtemperare vultis, quod arbitror, vos nos non infrugiferum experturos, ad vnam aut alteram hebdomadam nobiſcum duretis, velim. Nihil negotii vobis domi eſt. G. Fames ipſa nos domum abigit. PR. Dii boni, ſi alii non fame pereunt, nec vos, vt opinor, fame peribitis, tum ſi nihil aliud hîc remorari poſsit, hoc ſaltem remoram vobis iniiciat, quòd his diebus peccatorum deteſtãdorum rationem vobis tradam, quo in ſenſus nouitate reformati, Chriſto fructus edatis in patiẽtia. Tranſitum, Paſcha Hebræis ſonat. Nempe quòd hominibus iam ex peccatorum tyrannide, ad vi-

tæ libertatem aſpirandum eſt. G. Tam libenter hoc diſcere velim', quàm nobis vſui futurũ ſcio: ſed parentum affectus hîc diutius agere non patiuntur. PR. Vt lubet, vos inuitos ſeruare nõ cõſilium eſt, per me ergo domum proficiſci poteſtis, modò date operam, ne vos moribus ſub agreſtibus apud patentes geratis, ne ſuſpicẽtur vos illam morum luem in ludo noſtro contraxiſſe. G. Faciemus omnia ſedulò, remis tum velis conantes, ne ludo tuo dedecori ſimus. PR. Ite ergo fauſto auſpicio. G. Valeat tua humanitas fauſtiter præceptor humaniſsime.

HENRICVS ET FRIDERICVS
De æſtate colloquuntur, & in quem ludum literarium proficiſci velint.

FRID.

VT VALES mi Henrice? H. Optimè valeo, quo in cardine res tuæ aguntur? F. Omnia, læta, omnia auſpicata: cum parentibus ſatis ſupérque egi: in ludum triuialem me conferam, ſub docto aliquo præceptore militaturus. Tu, ſi te mihi comitem addere vis, gratum erit vt quod maximè. H. En optato res cadit, diu mecum cogitaui in ludum aliquem proficiſci velle: nec ego ſolus iter facere ſoleo. Tu ergo mihi comes vel multo gratiſsimus, diuina, vt dicitur, virgula oblatus es. F. In quem autem ludum te tradere animus eſt? H. In quẽcunque tu volueris. F. In Lipſenſem, audio enim illum omni ſtudiorum genere vel in primis flore. Tum Gymnarſiarcha illi ludo præfectus eſt, homo mirè facũdus, & in

nullo non ſcientiarum genere Roſchius. Adde quòd vrbis ipſius celebritas me illuc adigit. H. Sed audio peſtem illic vehementer graſſatã eſſe. F. Amici cuiuſdam literis compertum habeo, peſtem deſæuiſſe. Academiæ quoque magiſtros illuc pedem retuliſſe. H. Non fieri poteſt, vt peſtis omnino deſæuierit, ſi ſcholaſtici ex omnigenis oppidis, in quibus hactenus peſtis populata eſt, conſederint: ex afflatu ipſo peſte corripiamur oportet, præſertim in his æſtiuis menſibus, quibus nõ rarò tam numeroſa ſcholaſticorum turba cõfluit, vt eam vix capiat ludus. F. Quid cornicaris inepte? facile eſt inuenire ſutelas, quibus tuã inertiam oppallias. Nos nõ ſoli illic erimus, cum aliis adoleſcentibus fortunæ experiamur aleam, ſiue moriemur, ſiue viuemus, Chriſto moriemur, & Chriſto viuemus. H. Tum vt audio, non licet æſtiuis menſibus frigida lauare, nec ceraſis decerpẽdis mutuam agricolis operam collocare, nec aliquot dies ſcholis abeſſe: plus quàm Argos illic agere audiui, qui circunforaneam illam turbã obſeruent. Nec deſunt Corycæi, qui clandeſtinos ſermunculos, quos amicus cũ amico nugatur, ad præceptorẽ deferant. F. Iã audio quàm nihil ſcholaſticum in te ſpiret: ſcholaſticum agere vis, & ruſticorum negotiis te immergere cupis. Scholaſticus ἀπὸ τῆς σχολῆς dictus eſt, hoc ab otio literario, nẽpe qui ruſticarũ rerum labyrinthis exemptus, ſe totũ literis addicit. H. Sed quis ſemper lites operam nauare poteſt? omnium rerum ſatietas eſt. Vide tu ne ſtudium plus quàm adamantinum in neruos abeat. FRI. Tu vnius obuli gratia literas

ſat ſcio, deuoueres. HENR. Quæ Pallas tibi hæc in mentem miſit? FRID. Audio te ceraſis carpendis addictiorem eſſe, quàm vt in literis bonis aliquam ſementem facias. HEN. Non ſemper patruos ſapere oportet, ludēdum aliquando par im par, equitandum in arundine longa. FRI. Adoleſcentes ſumus, non eſt quod doctiſsimorum virorum collatione noſtro otio blandiamur. ſi eò erepſerimus, quò illi veluti in Olympiade euaſerunt, ea feriandi à literis libertate vtamur, licebit. Iam illud Titi Veſpaſiani in intimos pectoris receſſus inſculpas oportet, qui dum aliquando recordaretur, ſe aliquo die nihil egregii præſtitiſſe, ô me τρὶς κατάρατον ait, Ille dies hodie periit. Id quod Apelles pictor ille nobiliſsimus nō in ſtrenuè imitatus eſt, qui nullum diem abſque linea eſſe oportere dicebat. H. Sed iā non ignoras, quàm ſolis æſtus ingraueſcat, & quàm capita Anticyris digna faciat. F. Non eſt quod ſolis æſtus te prægrauet, ſi interdiu prælectionibus audiendis tempus impertias, diluculo verò è lecto ſurgens à capite ad calcem vſque repetas, optima quæque in memoriæ theſaurum deponas. hoc agas oportet, ſi non vis ex paleis tuorum laborum inanes cumos excutere. H. Iam in viam reduxiſti, iam reddidiſti animum: quoquò tu profectus eris, ego te comitabor.

IOANNES ET SEBALDVS
De autumni tempore confabulantur.

ECQVID agis Sebalde? IOA. Ecquid agerem? iam ſupellectilis meę ſarcinam colligo, domū

aduolaturus. S. Hui,tam cito! I. Cito!Bartholomæi feriæ elapſæ ſunt, Mariæ natalis in foribus eſt. Vix domum rediero, & Michaëlis feriæ me anteuertent. S. Ecquid te domum abigit? I. Vindemia iã faciũda eſt, & me muſto in lacunis ſubſcatente ad plenum vſque explebo. SEB. Homo es Bacelus, qui muſti gratia ſtudiorum iacturam facere vis. I. Prælectionibus omnibus iam quaſi colophonem imponent. SEB. Si expectare vis pauliſper,donec literas patri perferendas cõſcribam,te rurſus viſam. IOHA. Seculum effluet, quàm hinc me auellero. SEB. Non velim ieiunus iter aggrediaris. Nam medicorũ præſcripto conſtat autumnum magnum malorũ agmen hominibus adferre. IOHA. Sæpe demirari ſolitus ſum, cur in autumno homines in tot malorũ genera cadant. S. Medicorũ calculus eſt,propterea in autumno variis vicibus hominum corpora aſfici quòd prima luce neſcio quod frigus panicũ homines inuadat. Meridie autem, calor quidam repentinus oboriatur. Vnde ex illa temporis varietate corporum craſis perturbatur. IOHANN. Iam,audio, in medicorum diatribis enutritus es, vt qui tam arcana medicæ rei myſteria, veluti ex Tripode pronunties. SEB. Tum autumno quid Lipſiæ fiat,ſcis? IOHA. Quî ego ſcirem?Tu qui olim illic verſatus es,apertis,vt dicitur,tibiis ediſſere. SEB. Agricolæ in dies plenos pomorum, pyrorum, meſpilorum calathos in forum aſportant, vbi aliquando ego Græca fide mercari ſoleo. IOHAN. Quibus autem ſtrophis eludis,ne ab agricolis arripiaris? SEB. Gygis annullo vtor, vel

alium mihi adiungo, qui poma & pyra licitatur: & cum agricolæ in gremium mihi numerarunt, ego me in pedes quantum possum proripio, Punica fide exoluēs. I. Solent autem ne te insequi. SEB. Qui insequi me alio circunstante possunt? Verentur, ne, dum Iunonem insequūtur, in nubem incidant, hoc est, ne dum paruo cuidam dāno mederi volunt, in grauius prolabantur. IOHA. Quid si ad magistrum deferrent te: quot quæso plagas tibi lucrifaceres? SEB. Quid? veluti elephātina cuti iacula eiicit, sic & mea cutis ad quęuis flagra occalluit. IOHAN. Cretissare videris. S. πενία τὰς τέχνας ἐγείρει, vt quidam dixit, hoc est, Paupertas artes excitat, & fames ipsa, chamæleonta agere docet. IO. Audiui quondam à meo præceptore apud Græcos morem fuisse, quòd famem virgis ex ædibus eiicerent, dicentes, Foras fāmem, intro diuitias & sanitatem. S. Vtinam & ille mos apud nos duraret, sed iam plus æquo detineo te. I. Minimè gentium. si quid aliud vis, dicito, omnia sedulò exequar. SEB. Parentibus narra, me in literis semper gnauiter viuere. Alioqui si rescirēt me aliquādo ineptire, ne numulo quidem auxiliares manus porrigerent. Sacerdotium satis amplum mihi impetrarunt: si eò eruditionis progredi possem. quò sacrificio celebrando sufficerem, in cælo essem. IOHANN. Bellè narras: sed quî quæso sacrificio celebrando par esse potes, si verba nec quidem intellecta Deo obmurmuras? SEB. Non solus ego in eo ludo sum: multi in easdem ansas inciderunt. IOHANN. Sed errantium multitudo, non facit errori patrocinium. SEB.

Ego non manum verterim, modò numos mihi venari posſim. I. In Remboth, vt audio, hominũ genus degenerare vis, quòd pietatem ipſam ne pili quidem faciebat, in cute curanda plus æquo operans. S. Sed ego te itineri accinctum diſtringo. vale igitur, & fauſto omine patriam adeas, lætiori ad nos recurras. I. Et tu interim vale. ſiqua fortuna tibi benignius arriſerit, fac mei memoria non pectore effluat tuo. S. Hac ego te cura leuo: nam quî poſſem tam dulcis congerronis nõ meminiſſe. I. Vale igitur.

BARTHOLOMAEVS ET PETRVS

De tempore æſtiuali colloquuntur.

QVID ita eiulas ô Bartholomæe? BARTH. Cur non eiularem, vel ſanguine, vt dicitur, flerem? ſcriba domi eſt, qui ſubinde me virgis cædere, egregius flagrio, ſolet, niſi ad ſatietatem vſque cibos illi ſubminiſtrauerim. PETRVS. Ego non huius illud de ſale emptum mancipium facerem, ſi cibum aduſque clamando emendicatum illi ipſi ſuppeditare deberem. BAR. Nihil grauarer, ſi æſtiuum tempus nobis incumberet: ſed his hybernis menſibus mirũ eſt quantò negotio cibus emendicandus eſt. Nõ rarò ad octauæ horæ ſignum ad ciuium ædes aſſidere cogor, vt caruncula portionem prærancidam extorqueam. P. Solent ciues alioqui pueros ſubornare, qui quotidie certis cantilenis pro foribus cantillent, inde pecuniarum meſſem vel multo vberrimam demetentes. BARTHOL. Concentores quos vocant, quicquid eſt pecuniarum veluti bolum è faucibus præripiũt. Ego κόκκυγος

in morem eadem cantilena ciuium aures enecare soleo, vnde rarò triuncium lucrifacio. PET. Cur & tu non musicam artem addiscis? BAR. Non ex omni ligno fit Mercurius: non omnes omnibus artibus appositi sumus. P. Nō tam Apollinis oraculum, quàm hoc verbum verum est, sed tamen solent ciues quosdam adolescentes vulgaribus cantilenis subornare. B. Quid hoc est? Ex vna septimana vix semissem reliquam facio. P. Sed tamen ad eum modum increscet cumulus Hesiodius. BAR. Sed scriba nescio quas nugas agit. Me socordiorem esse ait, quàm vt numulum domum adferam. P. Si tam suis, vt fertur, moribus homo est, cur non illum missum facis? BAR. Tum si cibaria domum attulero, non igniculus suppetit, quo recalfaciam. PET. Quantò pretio agere in scholis hyberno tempore datur? BAR. Sex argenteis numis. Nam cantori ipsi in ipsis diuę Catharinę feriis, argenteum numum suppeditamus, & singulis tribus hebdomadis numum antiquū damus, & nescio quæ alia à nobis exiguntur. Tū annua vectigalia pro diuersoriis dependere cogimur. PE. Prò hominum fidem, mihi nulla pecunia tam iniquè postulari videtur, quàm quæ pro diuersoriis exigitur. Malè illi sit, qui hunc cēsum primus instituit, nudo vestimenta detrahere voluit. BAR. Emori citius videas, quàm vt vel obulum in ea pecunia remittant: tam è flamma, sat scio, pecuniam peterent. PET. Et vobis olim, lignis vendendis, pecunia impendenda erat, sed ciues pleriq; nos hac pecunia leuarūt. Vnde quotidie canticum, quod Salue vocant, in templo de-

tonare cogimur. BAR. Sed frigore nullo tangimini: calidum enim ſemper vaporarium eſt in quo frigora diſcutere poteſtis: & crede mihi in longè meliore viuis ſorte, quàm ego. PETR. Veriſsimum eſt quod Horatius dixit, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus: hoc eſt, nemo ſua contentus ſorte eſt, ſemper aliorum ſortem magis admiramur. BAR. Neſcis profectò, neſcis quantis negotiorum labyrinthis immergar. Hoſpes meus ſubinde proſcenium peragere ſolet, & ad intempeſtam vſque noctem ſomnum protraho. Nec veſperi vllius libri inſpiciundi copia datur: ceruiſia ſemper afferenda eſt. PET. Et mihi ad octauæ horæ ſignum vicatim ἄνω καὶ κάτω curſitandum eſt, vt vel iuſculum mihi parem. Tu autem opiparis quotidie cibis ventriculum exatias. BAR. Mallem ego tenius victitare, quàm cibi gratia ſtudiorum iacturam facere. PETR. Qualem ego fortunam nactus ſim, ignoro: niſi ego me olim ex illis fortunæ tumultibus extricaturum ſperarem, malis illis ſeu tempeſtate afflictus conciderem. BAR. Has nugas miſſas faciamus. Sed ſcis quid craſtino die laboris in humeros noſtros reſideat? PE. Quidam? BAR. Nobis prima luce è lecto ſurgendum eſt, ad diuæ virginis ſacrificium canendum. Tum cantilenæ in Chriſti natali canendæ non parum temporis exigunt, & neſcio quæ alia laborum illas exhaurienda eſt. PETR. Dabit his Deus quoque finem: quippiam iam pietati dandum eſt: vt enim in ſacris ſementem feceris, ita & metes. CHRISTI iam aduentus

à nobis, obuiis, vt fertur, manibus expectatur: omnibus nobis elaborandum est, quò sese in nostram mentem per gratiæ suæ charismata diffundat, & nobis gratiam ad mensuram det, quemadmodum olim à concionatore non indocto accepit. BAR. Bellè narras. Quare quicquid est frigoris, quicquid est tædii, lubenter decoquemus. P. Ego quidem nullum reformidabo laborem. BAR. Quare mutuò in acie certabimus.

DE EPIPHANIAS FERIIS THOMAS *& Sebastianus confabulantur.*

DEVS auspicatum tibi conferat annum. TH. Et tibi det vt omnia alba contingant. SEB. Quid verò mihi pro xeniolo vel strenula mittes? THOM. Quid tibi mittam cum nec obulus ad emendos panes suppetat, quo latrantem stomachum exatiem? SEBASTIAN. Ego vel Calabri hospitis munera boni consulam. TH. Ego arbitror patrem breui aduolaturum: quod si aduenerit, omnia in portu erunt: & ne asymbolus apud te sim, curabo. SEB. Non soleo lubenter spem pretio emere. THOM. Si expectare non vis, præuertere Hebrum potes. Vnde quęso missitandorum munerum ratio apud Christianos radices egit? SEB. Tute lepus es, & pulpamētum quæris. THOM. Ego quantum ab aliis habeo, referam: arbitror primùm illis xeniolis homines sese mutua salute impertire, veluti aggratulari, quòd Dei benignitate incolumes, totius anni spatia emensi sint. Vel quòd propiùs vero est, quia

illis feriis tres Magi myſtici quibúſdam muneribus CHRISTVM regendemeriti ſunt. Sic Chriſtiani in Chriſtianæ charitatis ſymbolum, apophoretis mutuò amicitiam iungunt. SEBAST. Non à veritate abhorrent quæ ediſſeris: Sed Circuncisionis feriæ cur quæſo ab Eccleſia inſtitutæ ſunt? THOM. Non in Theologorum harena vnquam exercitatus ſum: ſed tamen quæ ab aliis audiui, recenſebo. Circuncisionis feriæ propterea peraguntur, vt quemadmodum CHRISTVS in præputii carne amputatus eſt, ſic & nos ab affectibus amputemur: exeſas ipſarum voluptatum carnes excidentes, ne animæ lepram adſerant. Ita enim quidam dicebat Hieronymum illum ſacrum, in libro de Vera circuncisione, diſputare. SEBASTIANVS. Quandoquidem in Theologorum campo iam congreſſus es, Epiphania vnde nomen promeruit? THOMAS. Quanquam hæc à noſtra profeſsione parerga ſunt, & quaſi extra oleas, vt dicitur: tamen quæ à præceptore olim prælegente excepi, in ſinum tuum infundam, ἐπιφάνια dicta, ἀπὸ τοῦ ἐπιφαίνομαι, hoc eſt appareo: nempe quòd tunc CHRISTVS Magis ipſis noſtra indutus carne apparuerit. Nec verò Magos accipies Maleficos quoſdam fuiſſe, vt Auguſtinus vult, ſed ſapientiæ ſtudiis deditos, & ſyderum curſus peritos ex fœlicisſima Arabia prodiiſſe, in quo ex auro & argento vaſa, lectos, tripodes facere conſueuerant: qua de re præceptor noſter Picum Franciſcum in libro Prænotionum adducebat. Iam habes vno, vt dicitur, verbo quod à me petiſti.

SEBAST. Et iam ad vespararum p recum sacrificium eundum est, si non plagas lucrifacere volumus.

PHILIPPVS ET MELCHIOR
De festis Bacchanalibus colloquuntur.

MELCHIOR.

FESTA iam Dionisii appetunt, quo mihi nil gratius obtingere posset. PHILIPP. Quid tum? MELCHIOR. Quoniam ad satietatem, vsque, me omni ciborum genere explebo. PHILIPP. Sed posthac in quadragesimæ tempore fortiter esuriturus. MELCH. Vtut res cadat, satis beatus videor, si semel atque iterum ventriculum distendero. PHILIPP. Quò autem te profers? MELCH. Rectà ad forum eo, ollas empturus in quas victum capiam. PHIL. Emere soles olla Punica, vt opinor, fide. MELCH. Non nisi arte Pelasga figulos deludere possum, non cesso planum agere. PHIL. Quid si arripereris? MELCH. Pedes mihi remedio sunt. PHIL. Præceptor remissionem à studiis, vt audio, ad tres dies dedit. MELC. Si tres addidero, nihil, vt spero, damni afferet. PHIL. Ego certè octo dies mihi ad hęc festa sumam necessum est, si modò tempori, vt dicitur, seruiendum est. MELCH. Næ tu mecum vehementer sentis: sed tamen ita Baccho indulgebimus, ne à

Musarum aris recedere videamur. PH. Sed heus tu, curnam Baccho has ferias consecrarunt? ME. Nempe, quòd his diebus nemo non Anticyra egeat, nemo non insania corripiatur. PH. Et Baccho cornua cur affingunt? MEL. Quippe quòd olim poculorum vice cornua fuerint. P. Iam satis teneo. Tu vale.

NICOLAVS ET IOHANNES

De rerum salutatione colloquuntur.

ECQVID portas mi Nicolae? NIC. Cantharum ceruisiæ Neupergensis domino meo, ex ciuium, vt vocant, cellario affero. IOHA. Mi Nicolae, perquàm velim formulam quãdam ceruisiæ consecrandæ præscriberes. Herus meus indies negotium mihi facessit, quòd rusticè ceruisiam consecrẽ, nec ipse me melius edocere potest. N. Non credis mihi, quàm ægrè liceat Latinum sermonem ad vernaculum illum accommodare: sed tamen quantum ex meo preceptore audiui, in sinum tuum effundam. Cum ergo ceruisiam consecrare vis, dicere potes, Ceruisia vobis saluti sit. Ceruisia vobis commodo sit. Ceruisiã Deus sua bonitate consecret, nequid noxii vobis ingeratur. I. Iam rem teneo, qua autem ratione ab aliquo salutatus respondere soles? N. Si saluator, Salue mi amice: respondere soleo, Et tu itidem salue. Cum saluator, Saluus sis: respondeo, Et tu saluus sis. I. Bene se res habet, omnia teneo: sed cum mane aliquem accedis, quã salutatione cũ

dignari soles? N. Dicere soleo, Bonum mane, Bona dies. Cùm in meridie aliquem adeo. dicere solitus sum, Plurimum salue, vel saluete, Salua sit tua humanitas præceptor mi amantissime. Cum verò abeo, dicere in more habeo, Viue & vale: vel viuat & valeat faustiter tua vel vestra humanitas. I. Sed quo, quæso, modo efferre velis, Bibite bonum Iohannis? NICOL. Haud scio an oratio latina, ad id genus locutiones vernaculas aspirare possit: dicere tamen vellem, Bibite postremò nobiscum, nomine Iohannis: nam ne vllus quidam fons in itinere occursat. IOANN. Bene se res habet, gratias tibi habeo: aliquãdo curabo ne asymbol' apud te sim. Sed heus tu, vnus est scrupulus, qui me non rarò malè habet: Cum somnum capere vis, qua, quæso, salutatione abire soles? N. Dicere soleo, Ego somnum capessere volo, vos quoque quando libitum est, quieti vos tradite. Vel alio orationis habitu efferre potes, Deus vobis omnibus noctem tranquillã impertiat, vel, Quiescite fœliciter, Quietem capite suauiter. I. Omnia in portu sunt. iam vale fœliciter. N. Et tu vale.

BARTHOLOMEVS ET MATTHAEVS

De variis rebus colloquuntur.

PROSINT tibi balneæ mi Bartholomæe. BAR. Et tibi omnia prosint. MA. Balneæ vt tibi arridẽt? B. Si mihi adeò arrisissent, diutiùs inibi moram nexuissem. MAT. Scis quid rerum no-

uarum Aphrica apud me produxerit? BAR. Modò omnia dextera ſint, noua non illubenter audio. M. Et ludus literariùs tibi ſcopis verrẽdꝰ eſt. BARTHO. Dii boni, ánne hoc nouum? hoc negotii mihi datum eſſe non clam me fuit. MATT. Scopas vbi compares, noſtín'? BARTHO. Apud famulum furnarium. MATT. Aliud autem audire vis? BART. Si tam bullatas nugas expromere vis, taceas malim. Miror qui tam Hiberiis nugis nos onerare poſsis. MAT. Putabam me poſſe tibi timorem incutere, ſi rem paulò atrocius adornarem. BARTHOLOM. Quid rerum eſt ediſſere, παῦσαι λεπτολογῶν, vt Græcè dicam. MATTH. Cubiculum noſtrum quoque tibi ſcopis expurgandum eſt, ſordes ad carnificinam exportes neceſſum eſt: tenui potu mendicando occuperis oportet. & neſcio quæ alia laborũ ilias tibi hodie exhaurienda eſt. BAR. Ecque malum, infœlicitas eſt: miror hodie tantam laborum ſarcinam in humeros reſidere: per integram hebdomadam vel Epicureo deo otioſior fui, & hodie nihil non laborũ mihi obeundum eſt. M. εὐφήμει καὶ τύχην παροῦσαν εὖ ποίει hoc eſt, bona verba quæſo, & fortunam præſentem boni conſule. BARTH. Ecquid incommodi tibi accreſcere poſſet, ſi me mutua opera iuuares, & meam operam in rebus tuis ſedulò experturus? MA. Quidni? mori tecum vellem, tantũ abeſt; vt non in hac re auxiliares porrigam manus. BA. Sed hinc abeundi tempus: tantũ vide ne poſt feſtum, vt dicitur approperemus. MAR. Quid? vix ſecundæ horæ ſignum tactum eſt. BAR. Si adhuc tam maturum eſt, domum abibo: ius quod

heri vesperi reliqui feci, ventriculo donabo: tandem tua opera adiutus, dicto citius quicquid est laboris expediam. MELC. Tu modò iam ne diu moras necte.

MARCVS ET PETRVS
De eleemosynis colloquuntur.

VT VALES Petre? PETR. Maceratam viuo, vitam, sed tamen incolumem & inconcussam. MARC. Quot eleemosynas hodie emendicatus est? PETR. Vix vnam aut alteram. Nam nescio quo pacto ciues omnes fame contabescere volunt. MARC. Non calles, audio, qua via eleemosynarum vindemiam facere posis: non oportet statim à foribus pedem moueas: si importunius tibi obgannierint, vrgendi sunt: & si crebrò iacias, Venerem iacies, vt in prouerbio est. PETR. Quid? non rarò me lapidibus minatur, nisi è limine discessero. MAR. locantur tecum ego perstarem, visurus quorsum res abiret. P. Ego posthac me tibi comitem in emendicando pane adiungam: alioqui ante diē, sat scio, fame mortem oppetam necessum est. M. Quidni? Ego omnibus machinis, tuæ paupertatulæ obuiam ire volo. Non vides quo pacto soleam mulieres illas cadauerosas à foribus arcere, & solus prædæ inhiare? P. Bene se res habet. Nō vllus me à latere tuo arcebit. Iam autem vale.

IOSEPHVS ET GEORGIVS

De ratione ſtudendi colloquuntur.

IOSEPH.

SALVE plurimum mi Georgi. GEORG. Et tu ſalue, quò te profers? IOSEPH. A præceptore domum eo. GEORG. Sub quo tu præceptore ſtipendia literarum facis? IOSEPH. Sub homine non vulgariter docto. GEORG. Quanam ipſe in te erudiendo via vtitur? IOS. Sub tempus antelucanum & Græca & Latina declinatione exercet. Et logicis quoque ἀποδείξει me inſtruit, quo modo argumentorum panoplian comparare poſsim. Nugas quaſdam tenues ad Macariam, vt dicitur, mittit. Nam pleroſque refert eam tradere logicam, quam prius quàm addiſcamus, obliuio quædã obrepat: quẽadmodum de Strepſiade Comicus quidam ſcripſit. G. O te fœlicem cui talis obtigit præceptor. IOS. Tum tempore pomeridiano Grammaticã Philippi Melanchthonis iuuenis, vt ego audio: in vtraq; lingua ex æquo ſuſpiciendi, prẹlegit: ſubinde electas auctorum Græcorum ſententiolas, & chrias quaſdam veluti coronides adiungens, quibus velut melle prælito, præceptionum abſynthium edulcat. G. Ni planè lapis ſis, doctus euadas oportet. I. Tum quò cum literis literatis Chriſtum ipſum imbibamus, Eraſmi Roterodami Enchiridion prælegit, ex quo veram pietatem cum eloquentia condiſcere poſſumus. IOS. Et quis non ſub tali præceptore ſaperet? G. Tum

ſubinde methematis exercere ſolet, thema quod dam exponens, & tractandi ductum præſcribens. Non rarò declamationibus me exercet: breuiter mihi explicans, quæ in proœmio conciliandi ratio, quæ narrandi lux, quanta in diuidendo prudentia habenda ſit, quàm ſubtilis & crebra argumētatio, quibus viribus inſpiret, & vt ſummatim dicam, quicquid ad orationis artificium requiri ſolet. IOSEPH. En iſta tua oratione in alienum, vt dicitur, mundum tralatus videor, tam noua inſtituendi ratio mihi occurrit. Chamæleōta, vt audio, agit præceptor tuus. GEORG. πλὴν μόνη πάντων, vt Comicus quidam dixit. Quapropter variis rebus animum exercere ſolet, ne eadem per eadem audiendo retundatur. Quis enim præceptorem ferat non niſi cupreſſum ſimulātem? I. Quibus aliis rebus vacare cogeris? G. Subinde & Græcæ & Romanæ epiſtolæ mihi conſcribendæ ſunt. In dies aliquid in memoriam reponendum, ne memoriæ theſaurus negligatur. I. Hoc ipſo, vt dicitur, temporis puncto à meo præceptore deſciſcam: atque in tuam ſcholam, ſeu literarum militiam, nomen dabo. G. Sat ſcio, intra vnius anni ſpatium plus promouebere, quàm ſi alioqui in aliis φροντιστηρίοις ad ſex aut amplius annos computreſcas: plerique enim præceptores, multo indoctiores diſcipulos reddere ſolent quàm acceperunt. IO. Tuo conſilio nihil mihi prius erit: poſthac ego maiore beneuolētia te mihi obſtringam, quàm hactenus deuinxi. Non putaui enim te adoleſcentem eſſe tam raro ingenio. G. Quo ſim ingenio neſcio: hoc certè de me polliceri au-

ſim, me nō obſcurè videre poſſe quid diſtent æra lupinis,& quàm Corydus in aliarum auiū numero ruſticè obſtrepat. tu modò ne amicum ad deſperationem conuerte. Commodius poteris initio mederi, quàm fini. Ætas iuuenilis in quēcunque habitum ſequax eſt. Ætas verò decrepita, mirum eſt, quàm intractabilis ſit: quàm ſaliuam illam primam, quam olim imbibit, ſemper reddat. Vnde Parœmiacos eſt ſermo, Senis mutare linguam difficile eſt, & Quia ſenex eſt pſittacus, ferulam negligit. I. Tu pol puer es præcoci ſapientia. Catonem aliquem iam me audire putaui, non Adonidem, quendam puerum. C. παῦσαι λῃρῶν (vt Græcè tecum loquar) quòd animo tuo deſciuiſti, non in hyperberetæa vſque profer. I. Iam eo. Tu interim vale.

GASPAR ET BALTASAR

de repetendis lectionibus confabulantur.

ECQVID agis Gaſpar? G. Qua via lectionibus iam repetendis vteris? BALT. Primò ſolitus ſum vulgarem accommodare rationē, tum ad grammatices coticulam omnia exigere, inuentionis acumē expendere, omniū vocularum ſitū ſubducta ratione ad calculum vocare. Tādē, ſiquod nouè vel priſce dictū occurrerit, in nidos ad id paratos conuehere, ſiquæ παροιμία ſiquæ ſentētia inſignis, ſtellis vt dicitur notare ſoleo: & ea quæ inſigniora vidētur, in memoriæ theſaurū

deponere: ſubinde à lectione ſurgens, & animo meo vtcunque voluens quæ legi. Nec deeſt enchiridion, in quod, quicquid eſt illarum opum, ceu promptuarium, repono. Et ea viavtẽdum eſt τῷ εἰς ἄφενος σπεύδοντι, id eſt, properanti his diteſcere opibus. GASP. Næ ego homo ſum vel Morycho ſtultior, qui talium rerum omnem curam abieci, alia ſuper alia legens: nec animum aduerti, quàm omnem operam luderem. Sed veriſsimum illud in me ipſo experior, qui ſemper domi veluti in vmbra ſeſe continet, nec in hominum frequentiam progreditur, puerum animalẽ agere. Non rarò demiratus ſum, me ne pilo quidem doctiorem euadere, nullum omnino progreſſum in me experiri, & iam veluti Epimetheus ille, poſt factum prudẽtiam ſolidiorem ſumo. B. Nihil omnino poſthabitum eſt: tantò grauius in literas bonas incumbe, quantò ſerius eas verè adamare cœpiſti. Imitare viatores ipſos, qui dum mane in diem vſq; ſomnum protaxerunt, quàm poſſunt celerrimè iter carpũt, tarditatem celeritate reſarcientes, & plerunque citius eò quò volũt pertingunt, quàm illi qui prima luce iter ingreſsi ſunt. G. Non ignoro nullam addiſcendum feram ætatem eſſe: ſed tamen iſtud tuum ſtudium ego in lucro ponerem. B. Serere ne dubita, non paruus in literis prouentus tibi proueniet. GASP. Faciam vt iubes, nihil non acturus, quo te aut æquẽ, aut ſuperem.

VVENCESLAVS ET HERMANNVS
de coëmendis libris colloquuntur.

Quos tu putas libros mihi parem? HER. Ciceronis velim libros, & Terentii Comœdias coëmeres: ex illis enim solidam eloquentiam haurire posses. VVENCESL. Qui hoc fit? Ego non satis intelligo. HE. Paucis aduerte, docebo. Ciceronis oratio & elegans & pura est. Terētius purus, tersus, quotidiano nostro sermoni proximus, & haud scio an citra balbutiem, quicquid in linguam venerit, garrire posis, nisi Terentii comœdias in manibus triueris. Nec verò meopte Marte hæc dico: præceptoris mei iudicium est, quod ego hactenus non infrugiferum expertus sum. V. Et iam bibliopolam accedam, illos libros coempturus. H. Exemplaria Terentii varia sunt. Melchior Lottherus Chalcographus in Lypsia primi nominis, Terētium typis excudit vnà cum præfatione Philippi Melāchthonis, iuuenis præter ætatem eruditi. Et Frobenius calcographus optimis quibúsque libris imprimendis omnium diligentissimus, in paruas paginas Terentiū congessit. Tu eme exemplar quodcunque collubitum est. Ciceronis autem exemplaria apud Valentinum Schumanum, siue Græcè appellare mauis, Hypodymandron chalcographum in Lipsia operę infatigabilis reperies. V. Sat habeo. Tu vale.

FINIS.

